SANCTORUM PATRUM

OPUSCULA SELECTA.

XXXVII.

SANCTORUM PATRUM

OPUSCULA SELECTA

AD USUM PRAESERTIM STUDIOSORUM THEOLOGIAE



XXXVII.

EDIDIT ET COMMENTARIIS AUXIT

H. HURTER S. J.,

S. Theol. et Philos. Doctor, ejusdemque s. Theol. in
C. R. Univers. Oenipont. Professor p. o.

Cum Approbatione Celsissimi et Reverendissimi Episcopi Brixinensis
et Facultate Superiorum.

OENIPONTI.

LIBRARIA ACADEMICA WAGNERIANA.

1878.

SANCTORUM PATRUM

DE SACRAMENTIS

OPUSCULA SELECTA.

LONDINI
apud David Nutt.

PARISIIS
apud P. Lethielleux.

MEDIOLANI
apud Boniardi-Pogliani.

NEO-EBORACI ET CINCINNATI
Fr. Pustet.

OENIPONTI. TYPIS WAGNERIANIS

INDEX.

	Pag.
Praefatio	1
S. Ambrosii l. 6 de sacramentis	4
S. Augustini de unico baptismo l. unus . .	85
S. Paciani ep. 1. ad Sympronianum de catholico nomine . . .	132
» ep. 2. ad eundem de ejusdem literis	151
» ep. 3. ad eundem contra tractatus novatianornum . .	167
» paraenesis ad poenitentiam . .	218
» sermo de baptismo	242

LECTORI.

Opusculis *de gratia* ea subjicimus, quae *de sacramentis* agunt, sunt enim sacramenta uberrimi atque inexhausti gratiae canales. Exhibuimus quidem jam plura in praecedentibus tomulis, V. praesertim [1]) et VII., sed plura alia reperiuntur apud patres, quae diligentem theologiae studiosum latere non debent. Initium ducimus a libris sex *de sacramentis*, qui s. Ambrosio tribui solent. Licet enim doctissimi editores maurini recentioresque viri critici de eorum auctore dubii haereant, imo omnibus rationibus utrinque expensis eos potius s. Ambrosio abjudicent [2]), conveniunt tamen iidem, libros hosce

---

[1]) In hisce habes ll. Tertulliani *de baptismo* et *poenitentia;* Cypriani l. *de lapsis;* s. Cyrilli hierosolymitani *catecheses mystagogicas* et Ambrosiis ll. *de mysteriis et de poenitentia.*

[2]) Cf. editores maurini in praef. ad hos libros. Rationes, quae eos movent, ut hosce libros s. doctori abjudicent, sunt 1. diversitas elucutionis; „accedit

sensum si spectes esse *ambrosianos*, nam ex s. doctoris sententiis et plerumque verbis derivati sunt ac paraphrasim veluti continent l. *de mysteriis*: quod vero aetatem attinet Augustino non multo posteriores videri. Haud improbabilis videtur editoribus maurinis opinio, quae opus hoc Venerio aut alii cuipiam Ambrosii discipulo tribuit, qui non multo post ipsum praefuerit ecclesiae mediolanensi. Fessler[1]) et Alzog[2]) conjiciunt ejus auctorem forte esse Maximum taurinensem († p. a. 465). Porro cum hi libri remotae sint antiquitatis, magnae auctoritatis, penes theologos scholae qui iis de sacramentis disputantes libenter utuntur, et cum in iis revera doctrinae catholicae de sacramentis capita nitide proponantur, noluimus eos in nostra editione praeterire. Sunt autem hi sex (vel juxta alios septem) libri

---

2. et illud, quod Ambrosium non tam serviliter libros suos imitaturos fuisse existimamus . . . Addimus quoque 3. communionis tam infrequentis mediolanenses a s. praesule in certis suis libris nunquam incusari. Denique 4. quod auctor tantis animis in Ecclesiam romanam propter lotionem pedum insurgit, nobis ambrosiani esse instituti minime videtur.“

[1]) *Institutiones patrologiae* t. 1. §. 192.

[2]) *Grundriss der Patrologie* §. 69.

totidem conciones, quarum singulae singulis diebus hebdomadae paschalis habitae fuere, in quibus episcopus neophytos sacramentorum, quae pridie paschatis acceperant, i. e. baptismi, confirmationis et eucharistiae doctrina informat.

S. AMBROSII
MEDIOLANENSIS EPISCOPI
DE SACRAMENTIS
LIBRI VI.

LIBER I.

CAPUT I.

Ubi praemisit acturum se de sacramentis, quae prius explicare non oportuit, accedit ad mysterium apertionis, quam a Christo in surdi ac muti curatione signatam docet.

1. De sacramentis, quae accepistis, sermonem adorior, cujus rationem non oportuit ante praemitti; in christiano enim viro prima est fides. Ideo et Romae fideles dicuntur qui baptizati sunt: et pater noster Abraham ex fide justificatus est, non ex operibus (Rom. 4, 3). Ergo accepistis baptismum, credidistis. Nefas est enim me aliud aestimare; neque enim vocatus esses ad gra-

tiam [1]), nisi dignum te Christus sua gratia judicasset.

2. Ergo quid egimus sabbato? Nempe apertionem: quae mysteria celebrata sunt apertionis, quando tibi aures tetigit sacerdos et nares. Quod significat in Evangelio Dominus noster Jesus Christus, cum ei oblatus esset surdus et mutus, et tetigit aures ejus et os ejus: aures, quia surdus erat; os, quia mutus; et ait: *Ephpheta* (Marc. 7, 34). Hebraïcum verbum est, quod latine dicitur adaperire. Ideo ergo tibi sacerdos aures tetigit, ut aperirentur aures tuae ad sermonem et ad alloquium sacerdotis.

3. Sed dicis mihi: Quare nares? Ibi quia mutus erat, os tetigit; ut quia loqui non poterat sacramenta coelestia, vocem acciperet a Christo. Et ibi, quia vir; hic, quia mulieres baptizantur [2]), et non eadem puritas servi,

---

[1]) *Ad gratiam* scil. justificationis; *nisi dignum* i. e. rite dispositum ad gratiam justificationis recipiendam. *Sabbato*, pridie paschatis.

[2]) Haec brevius, sed forte clarius exposita cf. in l. *de mysteriis* n. 3. s. *opusc.* t. VII. Significare vult, ideo episcopum modo non os, sicut Christus, sed nares tangere, quod etiam feminae (adultae) sint baptizandae, episcopum autem utpote hominem fragilem non deceat os feminae tangere; ceterum et tactum narium mysterio seu significatione non carere.

quanta et Domini (cum enim ille peccata concedat, huic peccata donentur, quae potest esse comparatio?) ideo propter gratiam operis et muneris non os tangit episcopus, sed nares; ut bonum odorem accipias pietatis aeternae, et ut dicas: *Christi enim bonus odor sumus Deo*, quemadmodum dixit Apostolus sanctus (2. Cor. 2, 15); et sit in te fidei devotionisque plena fragrantia.

CAPUT II.

Unctionem athletae christiani exponit, quem ut excitet ad servandam fidem abrenunciationis, testium quibus praesentibus ea facta est, dignitatem amplificat, ac demum rei lucem addit exemplo.

4. Venimus ad fontem, ingressus es: considera quos videris, quid locutus sis considera, repete diligenter. Occurrit tibi levita, occurrit presbyter: unctus es quasi athleta Christi, quasi luctam hujus seculi luctaturus, professus es luctaminis tui certamina. Qui luctatur, habet quod speret: ubi certamen, ibi corona. Luctaris in seculo, sed coronaris a Christo, et pro certaminibus seculi coronaris. Nam etsi in coelo praemium, hic tamen meritum praemii collocatur.

5. Quando te interrogavit: Abrenuncias

diabolo et operibus ejus, qui respondisti? Abrenuncio. Memor esto sermonis tui, et nunquam tibi excidat tuae series cautionis. Si chirographum homini dederis, teneris obnoxius, ut pecuniam ejus accipias: teneris adstrictus, et reluctantem te foenerator adstringit; si recusas, vadis ad judicem, atque illic tua cautione convinceris.

6. Ubi promiseris considera, vel quibus promiseris. Levitam vidisti, sed minister est Christi. Vidisti illum ante altaria ministrare. Ergo chirographum tuum tenetur non in terra, sed in coelo. Considera, ubi capias sacramenta coelestia. Si hic corpus est Christi, hic et angeli constituti sunt. *Ubi corpus, ibi et aquilae* (Matth. 24, 28), legisti in Evangelio. Ubi corpus Christi, ibi et aquilae volare consuerunt; ut terrena fugiant, coelestia petant. Quare hoc dico? Quia et homines angeli, quicunque annunciant Christum, et in angelorum adscisci videntur locum. Quomodo? Accipe Baptistae rationem. Joannes natus erat ex viro et muliere; attamen audi quia angelus est et ipse: *Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, et praeparabit viam tuam ante te* (Id. 11, 6). Accipe aliud Malachiae prophetae: *Quia labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem,*

exquirunt ex ore ipsius; angelus est enim Dei omnipotentis (Malach. 2, 7). Haec ideo dicuntur, ut sacerdotis gloriam praedicemus, non ut aliquid personalibus meritis arrogetur.

8. Ergo abrenunciasti mundo, abrenunciasti seculo, esto sollicitus. Qui pecuniam debet, semper cautionem suam considerat: et tu qui fidem debes Christo, fidem serva, quae multo pretiosior quam pecunia est; fides enim aeternum patrimonium est [1]), pecunia temporale. Et tu ergo semper recordare quid promiseris, et eris cautior. Si teneas promissionem tuam, tenebis et cautionem tuam.

CAPUT III.

Licet fontem atque ministros tantum viderint neophyti, majora tamen esse quae non videntur, auctor ostendit.

9. Deinde accessisti propius: vidisti fontem, vidisti et sacerdotem supra fontem. Nec

---

1) *Fides aeternum patrimonium est,* et quia fide (viva) meremur aeternum patrimonium i. e. gloriam coelestem, et quia fides radix est justificationis, quae seminis instar se habet ad gloriam coelestem, et quia quod modo credimus, in altera vita clare videbimus.

hoc possum dubitare, quod in animum vestrum non potuerit cadere, quod cecidit in illum syrum Naaman (4. Reg. 5, 11. ss.); quia etsi mundatus est, tamen ante dubitavit. Quare? Dicam, accipe.

10. Ingressus es, vidisti aquam, vidisti sacerdotem, vidisti levitam. Ne forte aliquis dixerit: Hoc est totum? Imo est totum. Vere totum, ubi tota innocentia, tota pietas, tota gratia, tota sanctificatio. Vidisti quae videre potuisti oculis tui corporis et humanis conspectibus: non vidisti illa quae operantur, quia non videntur. Illa multo majora sunt quae non videntur, quam quae videntur; quoniam quae videntur, temporalia sunt: quae non videntur, aeterna (2. Cor. 4, 18).

CAPUT IV.

Sacramenta christianorum diviniora et priora esse quam judaeorum: atque inibi de vocis Pascha significatu.

11. Ergo dicamus primum, tene cautionem vocis meae, et exige. Miramur mysteria judaeorum, quae patribus nostris data sunt, primum vetustate sacramentorum, deinde sanctitate praestantia [1]). Illud promitto,

[1]) Proponit catechumeni exceptionem, sacramenta judaeorum videri praestantiora sacramentis christianis

quod diviniora et priora sacramenta sunt christianorum quam judaeorum.

12. Quid praecipuum quam quod per mare transiit judaeorum populus? ut de baptismo interim loquamur. Attamen qui transierunt judaei, mortui sunt omnes in deserto. Ceterum qui per hunc fontem transit, hoc est, a terrenis ad coelestia [1]); hic est enim transitus, ideo pascha, hoc est, transitus ejus, transitus a peccato ad vitam, a culpa ad gratiam, ab inquinamento ad sanctificationem: qui per hunc fontem transit, non moritur, sed resurgit.

CAPUT V.

In historia leprosi Naaman signatum esse, aquam illam, quae Christi gratiam habeat, solam sanare. Christum baptizari voluisse tantum propter nos. Quamobrem Spiritus sanctus in columbae specie apparens in illum non prius descenderit, quam idem ille aquam Jordanis esset ingressus: quonamve modo istic affuerit tota Trinitas?

13. Naaman ergo leprosus erat, puella

---

et antiquitate, quia priora sunt; et sanctitate, quia mirabiliora, quod magna saepe in ejus eluceret Dei potentia, ut in transitu judaeorum per mare rubrum, in manna etc.

[1]) Supple *transit.* Eramus et sequentes edit.:

quaedam ait uxori illius (4. Reg. 5, 1. ss.): Dominus meus si vult mundari, vadat in terram Israël, et ibi inveniet eum, qui possit ei lepram tollere. Dixit illa dominae suae, uxor marito, Naaman regi Syriae, qui eum quasi acceptissimum sibi misit ad regem Israël. Audivit rex Israël, quod missus esset ad eum cujus lepram mundaret, et scidit vestem suam. Tunc Elisaeus propheta mandat ei: Quid est quod scidisti vestem, quasi non sit Deus potens, qui mundet leprosum? Mitte illum ad me. Misit illum; cui advenienti ait propheta: Vade in Jordanem, merge et sanaberis.

14. Ille coepit cogitare secum et dicere: Hoc est totum? Veni de Syria in terram Judaeam, et dicitur mihi: Vade et descende in Jordanem, merge et sanaberis, quasi flumina meliora non sint in patria mea. Dixerunt ergo ei servi: Domine, quare non facis verbum prophetae? Magis fac et experire. Tunc ille ivit in Jordanem, mersit, et surrexit sanus.

15. Quid ergo significat? Vidisti aquam: sed non aqua omnis sanat, sed aqua sanat,

---

„transit a terrenis ad coelestia; hoc est enim pascha, id est, transitus.“

quae habet gratiam Christi. Aliud est elementum, aliud consecratio; aliud opus [1]), aliud operatio. Aqua opus est, operatio Spiritus sancti est. Non sanat aqua, nisi Spiritus descenderit, et aquam illam consecraverit; sicut legisti quod cum Dominus noster Jesus Christus formam baptismatis daret, venit ad Joannem, et ait illi Joannes: *Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me! Respondit illi Christus: Sine modo. Sic enim decet nos implere omnem justitiam* (Matth. 3, 14. s.). Vide quia omnis justitia in baptismate constituta est.

16. Ergo quare Christus descendit, nisi ut caro ista mundaretur, caro quam suscepit de nostra conditione? Non enim ablutio peccatorum suorum Christo necessaria erat, qui peccatum non fecit: sed nobis erat necessaria, qui peccato manemus obnoxii. Ergo si propter nos baptismum, nobis forma [2]) est constituta, fidei nostrae forma proposita est.

17. Descendit Christus, Joannes adstabat qui baptizabat, et ecce quasi columba Spiri-

---

[1]) *Opus* idem hic ac elementum, res naturalis.

[2]) *Forma*, ratio et ordo celebrandi sacramentum, ut etiam infra n. 18.

tus sanctus descendit. Non columba descendit, sed quasi columba. Memento quid dixerim: Christus carnem suscepit, non sicut carnem; sed carnis istius veritatem, veram carnem Christus suscepit; Spiritus autem sanctus non in veritate columbae, sed in specie columbae descendit de coelo. Ergo vidit Joannes et credidit.

18. Descendit Christus, descendit et Spiritus sanctus. Quare prior Christus descendit, postea Spiritus sanctus; cum forma baptismatis et usus hoc habeat, ut ante fons consecretur, et tunc descendat qui baptizandus est? Nam ubi primum ingreditur sacerdos, exorcismum facit secundum creaturam aquae, invocationem postea et precem defert; ut sanctificetur fons, et adsit praesentia Trinitatis aeternae; Christus autem ante descendit, secutus est Spiritus. Qua ratione? Ut non quasi ipse egere Dominus Jesus sanctificationis mysterio videretur; sed sanctificaret ipse, sanctificaret et Spiritus.

19. Ergo descendit in aquam Christus, et Spiritus sanctus sicut columba descendit. Pater quoque Deus e coelo locutus est. Habes praesentiam Trinitatis.

CAPUT VI.

In mari rubro baptismi figuram praecessisse partium singularum accommodatione demonstratur. Idem quoque sed paucioribus verbis ostenditur in diluvio: post quod absoluto primo sermone, sequens promittitur.

20. In mari autem rubro figuram istius baptismatis exstitisse ait Apostolus dicens: *Quia patres nostri omnes baptizati sunt in nube et in mari* (1. Cor. 10, 1. 2). Et subdidit: *Haec autem omnia in figura facta sunt illis* (Ib. 6, 6); illis in figura, sed nobis in veritate. Tunc Moyses virgam tenebat, conclusus erat populus judaeorum, instabat aegyptius cum armis ex una parte, et ex altera parte mari claudebantur hebraei; neque maria transire poterant, neque in hostem recurrere: murmurare coeperunt [1]).

21. Vide, non te provocet, quia exauditi sunt. Etsi exaudivit Dominus, tamen culpa non carent, qui murmuraverunt. Tuum est ubi constringeris, credere quod evadas, non murmurare; invocare, rogare, non querelam expromere.

22. Tenebat virgam Moyses, et ducebat populum hebraeorum in nocte in columna

---

[1]) Cf. annot. ad *opusc.* VII, 162.

lucis, in die in columna nubis. Lux quid est nisi veritas, quia apertum et plenum lumen effundit? Columna lucis quid est, nisi Christus Dominus, qui tenebras infidelitatis depulit, lucem veritatis et gratiae spiritalis affectibus infudit humanis? At vero columna nubis est Spiritus sanctus. In mari erat populus, et praeibat columna lucis: deinde sequebatur columna nubis, quasi umbratio Spiritus sancti. Vides quod per Spiritum sanctum et per aquam typum baptismatis demonstraverit.

23. In diluvio quoque fuit jam tunc figura baptismatis [1]), et adhuc utique non erant mysteria judaeorum. Si ergo hujus baptismatis forma praecessit, vides superiora mysteria christianorum, quam fuerunt judaeorum.

24. Sed interim secundum fragilitatem vocis nostrae [2]) et secundum temporis ratio-

---

[1]) Cf. annot. ad *opusc.* VII, 161. et praeterea pag. 54. et X, 35, 186, 188. — *Superiora* antiquitate praestantiora.

[2]) „Haec de fragilitate vocis querela, inquit editor maurinus, videtur quidem iis, ut in praefatione dictum est, nonnihil favere, qui hosce libros Ambrosio assertum eunt; verum e contrario ipsis haud parum adversatur, quod auctor iste suos auditores paulo infra et l. 6, c. 5. compellans *sanctitas*, in-

nem satis sit hodie etiam de sacro fonte libasse mysteria. Crastina die, si Dominus dederit loquendi potestatem vel copiam, plenius intimabo. Opus est ut sanctitas vestra aures paratas habeat, promptiorem animum; ut ea, quae nos colligere possumus de serie Scripturarum et vobis intimaverimus, tenere possitis; ut habeatis gratiam Patris et Filii et Spiritus sancti. Cui Trinitati perpetuum est regnum a seculis, et nunc et semper, et in omnia secula seculorum.

LIBER II.

CAPUT I.

Resumit explicationem diluvii, quo figuratum esse asserit verum baptismum; ubi de aliis baptismis pauca subjungit.

1. In diluvio quoque figuram baptismatis praecessisse hesterno coepimus disputare. Quid est diluvium, nisi in quo justus ad seminarium justitiae reservatur, peccatum moritur? Ideo Dominus ut vidit hominum pullulare delicta, justum solum cum sua progenie reservavit: aquam autem supra montes

---

quit, *vestra aures* etc. Quam locutionem *ambrosianam* esse non facile isti probaverint, sicut nec incisas interrogationes passim insertas.«

quoque exire praecepit. Et ideo in illo diluvio omnis corruptela carnis interiit, sola justi prosapia et forma permansit. Nonne hoc est diluvium, quod est baptisma; quo peccata omnia diluuntur, sola justi mens et gratia resuscitatur?

2. Multa sunt genera baptismatum, sed unum baptisma (Eph. 4, 5), clamat Apostolus. Quare? Sunt baptismata gentium, sed non sunt baptismata. Lavacra sunt, baptismata esse non possunt. Caro lavatur, non culpa diluitur; imo in illo lavacro contrahitur [1]). Erant autem baptismata judaeorum, alia superflua, alia in figura (Marc. 7, 8). Et figura ipsa nobis proficit, quia veritatis est nuncia.

CAPUT II.

Piscinae probaticae ab angelo commotae ac ei, qui primus in illam descendisset, sanitatem restituentis, itemque paralytici ad Christum responsio edisseruntur.

3. Quid lectum est heri? Angelus, inquit, secundum tempus descendebat in piscinam, et quotiescunque descendisset angelus, mo-

[1]) Culpa . . . *contrahitur* si scil. fierent in honorem deorum vel ex alio motivo superstitioso.

vebatur aqua (Joan. 5, 4); et qui prior descendisset, sanabatur ab omni languore quocunque tenebatur. Quod significat figuram venturam Domini nostri Jesu Christi [1].

4. Angelus quare? Ipse est enim magni consilii Angelus (Isaï. 9, 6). Secundum tempus [2], quod ad horam novissimam servabatur; ut in occasu ipso diem deprehenderet, et differret occasum. Quotiescunque ergo descendisset angelus, movebatur aqua. Dicis fortasse: Quare modo non movetur? Audi quare? Signa incredulis, fides credentibus (1. Cor. 4, 22).

5. Qui prior descendisset, sanabatur ab omni infirmitate. Qui est prior tempore, an

---

[1]) *Quod significat figuram.* Editiones et codd. mss. plures legunt: „Quod significat figura (casu ablat.) ventura (scil. mysteria) Domini." Sed editores maurini auctoritate et numero codd. hanc lectionem praeferunt, quam ita interpretantur: „Quod significabat praesentiam venturam D. N.; figura enim ac species plerumque inter se confunduntur, et speciem pro ipsa re seu exteriori rei conspectu sumi et supra ex Ambrósio annotavimus et ex variis Scripturae locis asseri potest." De hac praeclara baptisimi adumbratione cf. quae annotavimus *opusc.* VII, 154.

[2]) *Secundum tempus.* Haec sunt verba evangelistae narrantis descensum angeli in piscinam Joan. 5, 4., quae auctor adventui Christi Angeli magni consilii applicat.

honore? Utrumque intellige. Si tempore, prior qui descendisset, sanabatur ante, hoc est, de populo judaeorum magis quam de populo nationum. Si honore, qui prior descendisset, hoc est, qui haberet Dei metum, studium justitiae, gratiam caritatis, castitatis affectum, ipse magis sanabatur. Tamen tunc temporis unus sanabatur, tunc, inquam, temporis in figura qui prior descendisset, solus curabatur. Quanto major est gratia Ecclesiae, in qua omnes salvantur, quicunque descendunt?

6. Sed videte mysterium. Venit Dominus noster Jesus Christus ad piscinam, multi aegri jacebant. Et facile ibi multi aegri jacebant, ubi unus tantummodo curabatur. Deinde ait ad illum paralyticum: *Descende.* Ait ille: *Hominem non habeo* (Joan. 5, 7). Vide ubi baptizaris. Unde sit baptisma, nisi de cruce Christi, de morte Christi? Ibi est omne mysterium, quia pro te passus est. In ipso redimeris, in ipso salvaberis.

7. *Hominem*, inquit, *non habeo*; hoc est, *Quia per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum* (1. Cor. 15, 21). Non poterat descendere, non poterat salvari, qui non credebat, quod Dominus noster Jesus carnem suscepisset ex Virgine. Hic autem,

qui opperiebatur Mediatorem Dei et hominum, hominem Jesum Christum, exspectans eum de quo dictum est: *Et mittet Dominus hominem, qui salvos faciat eos* (Isaï. 19, 4); dicebat: *Hominem non habeo*; et ideo ad sanitatem meruit pervenire; quia credebat in advenientem. Melior tamen et perfectior fuisset, si credidisset jam venisse quem sperabat esse venturum.

CAPUT III.

Nonnullis ex historia Naaman enarratis, alias aliquot ejusdem sacramenti figuras perstringit.

8. Nunc vide singula. Diximus figuram praecessisse in Jordane, quando Naaman leprosus ille mundatus est (4. Reg. 5, 5). Puella illa ex captivis quae est, nisi quae speciem habebat Ecclesiae, et figuram repraesentabat? Captivus enim erat populus nationum, captivus erat, non dico captivitatem sub hoste aliquo populo constitutam: sed eam captivitatem dico, quae major est, quando diabolus cum suis saevo dominatur imperio, et captiva sibi colla subjicit peccatorum.

9. Ergo habes unum baptisma [1]); aliud in

---

[1]) *Habes unum baptisma*, illud scil. quo Naaman a lepra mundatus est.

diluvio; habes tertium genus, quando in mari rubro baptizati sunt patres; habes quartum genus in piscina, quando movebatur aqua. Nunc te consulo, utrum credere debeas, quia habes praesentiam Trinitatis in hoc baptismate, quo baptizatur in Ecclesia.

CAPUT IV.

Alias duas baptismatis figuras in ferro, quod ad preces Elisaei natavit, nec non in fonte, qui misso ligno dulcis factus est, proponit auctor.

10. Idem itaque Dominus noster Jesus Christus in Evangelio suo dicit ad apostolos: *Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (Matth. 29, 19). Sermo hic Salvatoris est.

11. Dic mihi, o homo, invocavit Elias de coelo ignem, et descendit ignis de coelo (3. Reg. 18, 38). Invocavit Elisaeus Domini nomen, et de aqua ferrum securis ascendit quod demersum fuerat (4. Reg. 6, 6). Ecce aliud genus baptismatis. Quare? Quia omnis homo ante baptismum quasi ferrum premitur atque demergitur; ubi baptizatus fuerit, non tamquam ferrum, sed tamquam jam levior fructuosi ligni species elevatur. Ergo et hic figura altera. Securis erat, qua caedebantur

ligna. Cecidit manubrium de securi, hoc est, ferrum demersum est. Filius prophetae nescivit quid faceret: sed hoc solum scivit, ut rogaret Elisaeum prophetam, et remedium postularet. Tunc ille lignum misit, et ferrum levatum est. Vides ergo quod in cruce Christi omnium hominum levatur infirmitas?

12. Aliud, etsi non ordinem tenemus; quis enim possit omnia gesta comprehendere Christi? sicut apostoli dixerunt (Joan. 21, 25). Moyses cum venisset in desertum, et sitisset populus, et venisset ad Merrha fontem (Exod. 15, 23. ss.), et bibere vellet aquam, quia ubi primum hausit, amaritudinem sensit, et coepit bibere non posse[1]; ideo Moyses misit lignum in fontem, et coepit aqua, quae antea erat amara, dulcescere.

13. Quid significat, nisi quia omnis creatura corruptelae obnoxia, aqua amara est omnibus? Etsi ad tempus suavis est, etsi ad tempus jucunda; amara tamen est, quae non potest auferre peccatum. Ubi biberis, sities: ubi potus coeperis suavitatem, iterum amari-

---

[1]) Propositio implexa ita construenda: cum ... bibere vellet aquam, quia, ubi primum hausit et coepit bibere, amaritudinem sensit, (supple: videns seu judicans populum eam) bibere non posse, ideo etc.

tudinem senties. Amara ergo aqua; sed ubi crucem Christi, ubi acceperis coeleste sacramentum, incipit esse dulcis et suavis: et merito dulcis, in qua culpa revocatur. Ergo si in figura tantum valuerunt baptismata, quanto amplius valet baptisma in veritate?

CAPUT V.

Ad preces sacerdotis adesse Trinitatem et colligit e superioribus, et ex figuris corporeis, quibus in Christum atque in discipulos Spiritus sanctus illapsus dicitur, confirmat.

14. Nunc ergo consideremus. Venit sacerdos, precem dicit ad fontem, invocat Patris nomen, praesentiam Filii et Spiritus sancti: utitur verbis coelestibus. Coelestia verba quae? Christi sunt, quod baptizemus in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Si ergo ad hominum sermonem, ad invocationem sancti [1]) aderat praesentia Trinitatis; quanto magis ibi adest, ubi sermo operatur aeternus? Vultis scire quia descendit Spiritus? Audisti quia quasi columba descendit. Quare quasi columba? Ut increduli vocarentur ad

---

[1]) *Sancti*, i. e. Moysis, Elisaei.

fidem. In principio signum debuit esse, in posterioribus debet esse perfectio [1]).

15. Accipe aliud: Post mortem Domini nostri Jesu Christi apostoli erant in uno loco, et orabant in die Pentecostes, et subito factus est magnus sonus, quasi cum vi magni spiritus ferretur, et visae sunt linguae dispersae, sicut ignis (Act. 2, 2. 3). Quid hoc significat, nisi descensum Spiritus sancti, qui se voluit incredulis etiam corporaliter demonstrare, hoc est, corporaliter per signum, spiritaliter per sacramentum? Ergo manifestum testimonium ejus adventus; nobis autem fidei jam praerogativa defertur; quia in principio signa incredulis fiebant, nobis jam in plenitudine Ecclesiae non signo, sed fide veritas colligenda est.

CAPUT VI.

Cum in homines mortis sententia propter peccatum lata fuisset, baptismus ad eosdem resuscitandos inventus adstruitur.

16. Nunc disputemus, quid sit quod dicitur baptisma. Venisti ad fontem, descen-

---

[1]) *Debet esse perfectio*, non requiritur signum visibile, quo indigent increduli, infirmi in fide; perfectis sufficit fides secundum illa Christi Joan. 20, 29: *Beati qui non viderunt et crediderunt.*

disti in eum, attendisti summum sacerdotem, levitas et presbyterum in fonte vidisti. Quid est baptismum?

17. In principio Deus noster hominem fecit, ut si peccatum non gustaret, morte non moreretur. Peccatum contraxit, factus est obnoxius morti, ejectus est de paradiso. Sed Dominus, qui sua vellet beneficia permanere, et insidias omnes abolere serpentis, rescindere quoque omne quod nocuit; primum quidem sententiam tulit in hominem: *Terra es, et in terram ibis* (Gen. 3, 19), et morti hominem fecit obnoxium. Erat divina sententia, solvi humana conditione non poterat. Remedium datum est, ut homo moreretur et resurgeret. Quare? Ut illud quod ante damnationis loco cesserat, loco cederet beneficii. Quid illud est nisi mors? Quaeris quomodo? Quia mors interveniens finem facit peccati. Quando enim morimur, utique peccare desistimus. Satisfactum ergo sententiae videbatur, quia homo qui factus fuerat ut viveret, si tamen non peccaret, incipiebat mori. Sed ut Dei perpetua gratia perseveraret, mortuus est homo: sed Christus invenit resurrectionem, id est, ut redintegraret coeleste beneficium, quod fraude fuerat serpentis amissum. Utrumque ergo pro nobis; quia et mors finis

est peccatorum, et resurrectio naturae est reformatio.

18. Verumtamen ne in hoc seculo diaboli fraus vel insidiae praevalerent, inventum est baptisma. De quo baptismate audi quid dicat Scriptura, imo Filius Dei, quia pharisaei, qui noluerunt baptizari baptismo Joannis, consilium Dei spreverunt[1]). Ergo baptismum consilium Dei est. Quanta est gratia, ubi est consilium Dei?

19. Audi ergo: nam ut in hoc quoque seculo nexus diaboli solveretur, inventum est quomodo homo vivus moreretur, et vivus resurgeret. Quid est vivus? Hoc est vita corporis vivens, cum veniret ad fontem et mergeretur in fontem. Quid est aqua, nisi de

---

[1]) Luc. 7, 30: *Pharisaei autem et legisperiti consilium Dei spreverunt in semeptisos non baptizati ab eo.* Quae verba ita explicat Tirinus: „Pharisaei et legisperiti in sua malitia obstinati providum consilium Dei, quo invitabantur partim rigida Joannis Baptistae poenitentia, partim suavi morum Christi comitate ad justitiam pietatemque sectandam, indigne spreverunt in i. e. adversus semetipsos seu damno suo.“ Sensus autem verborum auctoris nostri videtur esse: Pharisaei, qui noluerunt baptizari baptismo Joannis, certe etiam nolebant baptizari baptismo Christi, atque ita respuentes omne baptisma consilium Dei in ipsorum salutem spreverunt.

terra? Satisfit ergo sententiae coelesti sine mortis stupore [1]). Quod mergis, solvitur sententia illa: *Terra es et in terram ibis*; impleta sententia, locus est beneficio remedioque coelesti. Ergo aqua de terra, possibilitas autem vitae nostrae non admittebat ut terra operiremur, et de terra resurgeremus. Deinde non terra lavat, sed aqua lavat; ideo fons quasi sepultura est.

CAPUT VII.

Triplicis interrogationis et immersionis exemplum in trina responsione Petri exstitisse. Quare cum tota Trinitas peccata dimittat, dicitur unum nomen esse, in quo salvari nos oporteat: et qua ratione Christo in baptismo commoriamur, atque ungamur in vitam aeternam?

20. Interrogatus es: Credis in Deum Pa-

---

[1]) *Sine mortis stupore*, quin revera mortem secundum corpus experiamur. *In terram ibis* demersus in aquam, quae est de terra. Hinc cum satisfactum sit sententiae divinae, jam locus est beneficio etc. Duplicem deinde rationem reddit, quare in baptismo, qui mortis veluti vicem gerere debet, adhibeatur aqua. Quia scil. ita nobis est moriendum, ut tamen postea sit *possibilitas vitae*, haec autem non foret, si *terra operiremur* etc.; et quia resurgentes ad novam vitam mundandi sumus a peccatis: jam vero *non terra lavat, sed aqua, ideo fons* baptismi *quasi sepultura est.*

trem omnipotentem? Dixisti: Credo, et mersisti, hoc est, sepultus es. Iterum interrogatus es: Credis in Dominum nostrum Jesum Christum, et in crucem ejus? Dixisti: Credo, et mersisti; ideo et Christo es consepultus: qui enim Christo consepelitur, cum Christo resurgit. Tertio interrogatus es: Credis et in Spiritum sanctum? Dixisti: Credo, tertio mersisti [1]; ut multiplicem lapsum superioris aetatis absolveret trina confessio.

21. Denique ut vobis afferamus exemplum, sanctus apostolus Petrus posteaquam in passione Domini lapsus videretur infirmitate conditionis humanae; qui antea negaverat, postea ut illum lapsum aboleret et solveret, tertio interrogatur a Christo, si Christum amaret; tunc ille dicit: *Tu nosti, Domine, quia amo te* (Joan. 21, 15, ss.). Tertio dixit, ut tertio absolveretur.

22. Sic ergo peccatum dimittit Pater, sicut dimittit Filius, sic et Spiritus sanctus. In uno autem nomine baptizari nos jussit,

---

[1]) Hinc non est inferendum, singulis immersionibus interpositas fuisse singulas interrogationes, quae simul omnes eisdem fuere praemissae, ut constat ex pluribus sacramentariis. Quare auctor ingeniose tantum significare vult, interrogationes ac mersiones respondere sibi mutuo.

hoc est, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Noli mirari quia dixit unum nomen, ubi est una substantia, una Divinitas, una majestas. Hoc est nomen, de quo dictum est: *In quo oportet omnes salvos fieri* (Act. 4, 12). In hoc nomine omnes salvati estis, redditi estis ad gratiam vitae.

23. Clamat ergo Apostolus, sicut audistis in lectione praesenti: *Quoniam quicunque baptizatur, in morte Jesu baptizatur* (Rom. 6, 3). Quid est in morte? Ut quomodo Christus mortuus est, sic et tu mortem degustes; quomodo Christus mortuus est peccato et Deo vivit, ita et tu superioribus illecebris peccatorum mortuus sis per baptismatis sacramentum, et surrexeris per gratiam Christi. Mors ergo est, sed non in mortis corporalis veritate, sed in similitudine; cum enim mergis, mortis suscipis et sepulturae similitudinem; crucis illius accipis sacramentum, quod in cruce Christus pependit, et clavis confixum est ejus corpus. Tu ergo cum crucifigeris, Christo adhaeres, clavis Domini nostri Jesu Christi adhaeres; ne te diabolus possit abstrahere. Teneat te clavus Christi, quem revocat humanae conditionis infirmitas.

24. Ergo mersisti, venisti ad sacerdotem: quid tibi dixit? Deus, inquit, Pater omnipo-

tens, qui te regeneravit ex aqua et Spiritu sancto concessitque tibi peccata tua, ipse te ungat in vitam aeternam. Vide ubi unctus es: in vitam, inquit, aeternam. Noli hanc vitam illi vitae anteferre. Verbi gratia, si exsurgat inimicus aliquis, si velit tibi fidem tuam auferre, si minatur mortem, ut praevaricetur quisquam, vide quid eligas: noli eligere illud in quo non es unctus, sed elige illud in quo unctus es; ut vitam aeternam vitae praeferas temporali. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

LIBER III.

CAPUT I.

Quare in baptismo demersi ac vivificati recipiant unguentum in capite, et quid sit regeneratio: qua ratione etiam nos piscis in marí seculi hujus imitari naturam oporteat. Item de mysterio lotionis pedum, cujus licet usus in Ecclesia romana non obtineat, utilitas haud parva declaratur.

1. Hesterno die de fonte disputavimus, cujus species veluti quaedam sepulcri forma est; in quem, credentes in Patrem et Filium et Spiritum sanctum, recipimur et demergimur et surgimus, hoc est, resuscitamur. Accipis autem μύρον, hoc est, unguentum su-

pra caput. Quare supra caput? Quia sensus sapientis in capite ejus (Eccl. 2, 14), Salomon ait; friget enim sapientia sine gratia; sed ubi gratiam acceperit sapientia, tunc opus ejus incipit esse perfectum. Haec regeneratio dicitur.

2. Quid est regeneratio? Habes in Actibus apostolorum quod ille versiculus, qui dicitur in Psalmo secundo: *Filius meus es tu, ego hodie genui te* (Act. 13, 33), ad resurrectionem spectare videatur. Namque sanctus apostolus Petrus [1]) in Actibus apostolorum sic interpretatus est, quod tunc quando resurrexit Filius a mortuis, Patris vox resultaverit: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Unde et primogenitus a mortuis dicitur. Ergo resurrectio quid est, nisi quando de morte ad vitam resurgimus? Sic ergo et in baptismate, quoniam similitudo mortis est, sine dubio dum mergis et resurgis, similitudo fit resurrectionis. Recte itaque secun-

---

[1]) Est memoriae lapsus, neque enim Petrus, sed Paulus ap. haec Psalmi verba resurrectioni applicat: neque Paulus haec verba ita explicat, ac si in Christi resurrectione *Patris vox resultaverit*, sed verba repromissionis ad patres factae adimpleta fuisse affirmat in Christi resurrectione, *in Psalmo secundo sicut scriptum est.*

dum interpretationem apostoli Petri sicut illa resurrectio regeneratio fuit, ita et ista resurrectio regeneratio est.

3. Sed quid dicis, quia in aquam mergis? Ideo peregrinaris, ideo te dubitatio tenet? Legimus quidem: *Producat terra ex se fructum germinantem* (Gen. 1, 11). Similiter et de aquis legisti: *Producant aquae animantia*, et nata sunt animantia [1]). Illa quidem in principio creaturae: sed tibi reservatum est, ut aqua te regeneret ad gratiam, sicut alia generavit ad vitam. Imitare illum piscem, qui minorem quidem adeptus est gratiam, tamen debet tibi esse miraculo. In mari est, et super undas est: in mari est, et super fluctus natat. In mari tempestas furit, stridunt procellae: sed piscis natat, non demergitur, quia natare consuevit. Ergo et tibi hoc seculum mare est. Habet diversos fluctus, undas graves, saevas tempestates. Et tu esto piscis, ut seculi te unda non mergat. Pulchre autem Pater dicit ad Filium: *Ego hodie genui te*, hoc est, quando redemisti populum, quando ad coeli regnum vocasti, quando implesti voluntatem meam, probasti meum esse te Filium.

---

[1]) Cf. quae annotavimus opusc. VII, 147. *Peregrinaris*, incertus haeres.

4. Ascendisti de fonte, quid secutum est? Audisti lectionem. Succinctus summus sacerdos; licet enim et presbyteri fecerint, tamen exordium ministerii a summo est sacerdote. Succinctus, inquam, summus sacerdos pedes tibi lavit. Quod est istud mysterium? Audisti utique, quia Dominus cum lavisset discipulis aliis pedes, venit ad Petrum; et ait illi Petrus: *Tu mihi lavas pedes* (Joan. 13, 8)? Hoc est, tu dominus servo lavas pedes? tu immaculatus mihi lavas pedes? tu auctor coelorum mihi lavas pedes? Habes hoc et alibi: *Venit ad Joannem, et ait illi Joannes: Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me* (Matth. 3, 14)? Ego sum peccator, et tu venis ad me peccatorem, ut tua quasi peccata deponas, qui peccatum non feceris? Vide omnem justitiam, vide humilitatem, vide gratiam, vide sanctificationem: *Nisi lavero*, inquit, *tibi pedes, non habebis mecum partem.*

5. Non ignoramus, quod Ecclesia romana hanc consuetudinem non habeat, cujus typum in omnibus sequimur et formam: hanc tamen consuetudinem non habet [1]), ut pedes

[1]) *Consuetudinem non habet* lavandi scil. recenter baptizatis pedes, *forte propter* baptizatorum *mul-*

lavet. Vide ergo, forte propter multitudinem declinavit. Sunt tamen qui dicant et excusare conentur, quia hoc non in mysterio faciendum est, non in baptismate, non in regeneratione: sed quasi hospiti pedes lavandi sint. Aliud est humilitatis, aliud sanctificationis. Denique audi, quia mysterium est et sanctificatio: *Nisi lavero tibi pedes, non habebis mecum partem* (Joan. 13, 8). Hoc ideo dico, non quod alios reprehendam, sed mea officia ipse commendem. In omnibus cupio sequi Ecclesiam romanam: sed tamen et nos homines sensum habemus; ideo quod alibi rectius servatur, et nos rectius custodimus.

5. Ipsum sequimur apostolum Petrum, ipsius inhaeremus devotioni. Ad hoc Ecclesia

---

titudinem, ut auctor conjicit. Cujus omissionis et aliorum affert rationem, quod scil. ex voluntate Christi hospitibus adhibenda sit pedum lotio, non vero in baptismi administratione. Verum auctor putat, et humilitatis gratia eam hospitibus esse adhibendam, et propter mysterium seu mysticam significationem et sanctificationem, quam confert in baptismo non esse omittendam. Haec autem sanctificatio, quae comitatur pedum lotionem, est, ut n. 7. explicat, majus subsidium seu specialis gratia adversus concupiscentiae rebellionem, quam baptismus non aufert. Cf. quae annotavimus *opusc.* VII, 66. ad similem doctrinam l. *de mysteriis* n. 32.

romana quid respondet? Utique ipse auctor est nobis hujus assertionis Petrus apostolus, qui sacerdos fuit Ecclesiae romanae. Ipse Petrus ait: *Domine, non solum pedes, sed etiam manus et caput* (ib. v. 9). Vide fidem. Quod ante excusavit, humilitatis fuit: quod postea obtulit, devotionis et fidei.

7. Respondit illi Dominus, quia dixerat manus et caput: *Qui lavit, non necesse habet iterum lavare, nisi ut solos pedes lavet* (ib. v. 10). Quare hoc? Quia in baptismate omnis culpa diluitur. Recedit ergo culpa: sed quia Adam supplantatus a diabolo est, et venenum ei effusum est supra pedes, ideo lavas pedes; ut in ea parte, in qua insidiatus est serpens, majus subsidium sanctificationis accedat, quo postea te supplantare non possit. Lavas ergo pedes, ut laves venena serpentis. Ad humilitatem quoque proficit, ut in mysterio non erubescamus, quod dedignamur in obsequio.

CAPUT II.

Baptizatum consignari Spiritu sancto, ad quem cum spectent omnes virtutes, quodam tamen praecipuo jure septem pertinent: eidem baptizato ubi ad altare accesserit, oculos coeci in Joannis Evangelio descripti instar luto liniri, per quod peccatorum confessio significatur: quo loco iis, qui peccatores esse se negant,

confutatis, oculos hac impositione luti ad videnda spiritalia aperiri demonstrat.

8. Sequitur spiritale signaculum, quod audistis hodie legi [1]; quia post fontem superest ut perfectio fiat; quando ad invocationem sacerdotis Spiritus sanctus infunditur, Spiritus sapientiae et intellectus, Spiritus consilii atque virtutis, Spiritus cognitionis atque pietatis, Spiritus sancti timoris (Isaï. 11, 2): septem quasi virtutes Spiritus.

9. Et omnes quidem virtutes ad Spiritum pertinent: sed istae quasi cardinales sunt, quasi principales. Quid enim tam principale, quam pietas? quid tam principale, quam cognitio Dei? quid tam principale, quam virtus? quid tam principale, quam consilium Dei? quid tam principale, quam timor Dei? Sicut timor seculi infirmitas, ita timor Dei magna est fortitudo.

10. Istae sunt septem virtutes quando consignaris. Nam ut ait Apostolus sanctus: *Quia multiformis est*, inquit, *sapientia Dei nostri* (Ephes. 3, 10). Et ut multiformis est sapientia Dei, ita *multiformis*

---

[1]) *Quam audistis hodie legi*, in lectione Evangelii vel potius actuum apostolorum pro illa die assignata

est Spiritus sanctus, qui habet diversas variasque virtutes. Unde et Deus virtutum dicitur: quod aptari potest Patri et Filio et Spiritui sancto. Sed hoc alterius disputationis, alterius est temporis.

11. Post haec quid sequitur? Venire habes ad altare. Quoniam venisti, videre habes quae ante non videbas, hoc est, mysterium quod legisti in Evangelio; si tamen non legisti, certe audisti. Coecus obtulit se Salvatori, ut curaretur; et ille, qui alios verbo tantum et sermone curabat et refundebat imperio lumen oculorum; tamen in libro Evangelii qui scribitur secundum Joannem, qui vere prae ceteris vidit magna mysteria, et designavit, et declaravit, mysterium hoc in illo voluit praefigurare. Omnes quidem sancti evangelistae omnes apostoli, praeter proditorem, omnes sancti; tamen sanctus Joannes, qui ultimus scripsit Evangelium, quasi necessarius requisitus et electus a Christo, majore quadam tuba fudit aeterna mysteria. Quidquid locutus est, mysterium est. Alius dixit coecum curatum, dixit Matthaeus, dixit Lucas, dixit Marcus: solus Joannes quid ait? *Tulit lutum, et linivit super oculos ejus, et dixit ei: Vade in Siloam. Et exsurgens ivit, et lavit, et venit videns* (Joan. 9, 7).

12. Considera et tu oculos cordis tui. Videbas quae corporalia sunt corporalibus oculis; sed quae sacramentorum sunt, cordis oculis adhuc videre non poteras. Ergo quando dedisti nomen tuum [1]), tulit lutum, et linivit super oculos tuos. Quid significat? Ut peccatum tuum fatereris, ut conscientiam tuam recognosceres, ut poenitentiam ageres delictorum, hoc est, sortem humanae generationis agnosceres. Nam etiamsi non confiteatur peccatum, qui venit ad baptismum; tamen hoc ipso implet confessionem omnium peccatorum, quod baptizari petit, ut justificetur, hoc est, ut a culpa ad gratiam transeat.

13. Nolite otiosum putare. Sunt quidam, scio certe aliquem fuisse qui diceret, cum illi diceremus: In hac aetate magis baptizari debes, dicebat ille: Quare baptizor? Peccatum non habeo. Numquid peccatum contraxi? Hic lutum non habuit, quod ei Christus non leverat, hoc est, non ei aperuerat oculos; nullus enim homo sine peccato.

14. Ergo agnoscit se hominem, qui confugit ad baptismum Christi. Itaque et tibi

---

[1]) ***Dedisti nomen tuum.*** Nomen suum dabant catechumeni, qui baptismum recipere desiderabant atque propterea in competentium ordinem admittebantur.

imposuit lutum, hoc est, verecundiam, prudentiam, considerationem fragilitatis tuae; et dixit tibi: *Vade in Siloam.* Quid est Siloas? *Quod interpretatur*, inquit, *missus*, hoc est: Vade ad illum fontem, in quo crux Domini praedicatur: vade ad illum fontem, in quo omnium Christus redemit errores.

15. Isti, lavisti, venisti ad altare, videre coepisti, quae ante non videras; hoc est, per fontem Domini et praedicationem dominicae passionis tunc aperti sunt oculi tui: qui ante corde videbaris esse coecatus, coepisti lumen sacramentorum videre. Ergo, fratres dilectissimi, venimus usque ad altare, ad tractatum uberiorem. Et ideo quia id temporis est, disputationem integram non possumus incipere: quia prolixior tractatus est, satis sit quod dictum est hodie; et crastina die, si Domino placet, de sacramentis ipsis tractabimus.

LIBER IV.

CAPUT I.

Secundum veteris legis tabernaculum, et quae moris erat ibi servari, ad baptisterium baptismique effectus adaptantur.

1. In veteri testamento sacerdotes frequenter in primum tabernaculum intrare consue-

verant: in secundum tabernaculum semel in anno summus intrabat sacerdos. Quod evidenter ad Hebraeos recolens, seriem veteris testamenti explanat apostolus Paulus (Hebr. 9, 1. ss.). Erat autem in secundo tabernaculo manna, erat etiam virga Aaron quae aruit, et postea refloruit, erat et thymiamaterium.

2. Quo spectat hoc? Ut intelligatis quid sit secundum tabernaculum, in quod vos introduxit sacerdos, in quod semel in anno summus sacerdos intrare consuevit, hoc est, ad baptisterium, ubi virga Aaron floruit (Num. 17, 8). Ante arida erat, postea refloruit: et tu aridus eras, et coepisti in fonte irriguo reflorescere. Arueras peccatis, arueras erroribus atque delictis: sed fructum jam afferre coepisti, plantatus secus decursus aquarum.

3. Sed forte dicas: Quid hoc ad populum, si virga sacerdotis aruerat et refloruit? Populus ipse quis est nisi sacerdotalis? Quibus dictum est: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta* (1. Petr. 2, 9), ut ait apostolus Petrus. Unusquisque ungitur in sacerdotium, ungitur et in regnum: sed spiritale regnum est et sacerdotium spiritale.

4. In secundo quoque tabernaculo est thymiamaterium, quod bonum odorem fragrare consuevit; ita et vos jam bonus odor Christi estis, jam nulla in vobis sors delictorum, nullus odor gravioris erroris.

CAPUT II.

Humanam in baptismo conditionem admirationi esse ipsis angelis; hanc enim per illum ad innocentiae ac juventutis gratiam revocari.

5. Sequitur ut veniatis ad altare. Coepistis venire: spectarunt angeli, viderunt vos advenientes, et humanam conditionem illam, quae ante peccatorum tenebroso squallore sordebat, aspexerunt subito refulgere. Ideoque dixerunt: *Quae est haec quae ascendit a deserto dealbata* (Cant. 8, 5)? Mirantur ergo et angeli. Vis scire quia mirantur? Audi ergo apostolum Paulum [1]) dicentem ea nobis esse collata, quae concupiscunt et angeli videre (1. Petr. 1, 12). Et iterum: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit ... quae praeparavit Deus diligentibus se* (1. Cor. 2, 9).

---

[1]) Alius memoriae lapsus. Prior enim textus est s. Petri.

6. Deinde quid acceperis recognosce. Sanctus David propheta hanc gratiam in figura vidit et concupivit. Vis scire quia concupierit? Iterum audi dicentem: *Asperges me hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor* (Psal. 50, 9). Quare? Quia nix, quamvis sit candida, cito aliqua sorde nigrescit atque corrumpitur: ista gratia quam accepisti, si teneas quod accepisti, erit diuturna atque perpetua.

7. Veniebas ergo desiderans ad altare, utpote qui tantam gratiam videras; veniebas desiderans ad altare, quo acciperes sacramentum. Dicat anima tua: *Et introibo ad altare Dei mei, ad Deum qui laetificat juventutem meam* (Id. 42, 4). Deposuisti peccatorum senectutem, sumpsisti gratiae juventutem: hoc praestiterunt tibi sacramenta coelestia. Denique iterum audi dicentem David: *Renovabitur sicut aquilae juventus tua* (Id. 102, 5). Bona aquila esse coepisti, quae coelum petis, terrena fastidis. Bonae aquilae circa altare: *Ubi enim corpus, ibi et aquilae* (Matth. 24, 28). Forma corporis altare est, et corpus Christi est in altari: aquilae vos estis, renovatae ablutione delicti.

CAPUT III.

Ostensurus auctor sacramenta nostra quam judaeorum tum antiquiora tum diviniora esse, priorem partem conficit instituta inter Melchisedech atque Abraham comparatione; ubi illum et mysteriorum nostrorum auctorem et Christi figuram exstitisse planum facit.

8. Venisti ad altare, vidisti sacramenta posita super altare, et ipsam quidem miratus es creaturam; tamen creaturam solemnem et notam.

9. Forte aliquis dixerit: Judaeis Deus tantam gratiam praestitit, manna illis pluit e coelo (Exod. 16, 13); quid plus dedit fidelibus suis? quid plus tribuit iis quibus plus promisit?

10. Accipe quae dico, anteriora esse mysteria christianorum quam judaeorum, et diviniora esse sacramenta christianorum quam judaeorum. Quomodo? Accipe. Judaei quando esse coeperunt? Ex Juda utique pronepote Abrahae: aut, si vis et sic intelligere, ex lege, id est, quando judaei legem accipere meruerunt. Ergo ex pronepote Abrahae judaei dicti sunt, aut a tempore sancti Moysis. Et si tunc Deus judaeis murmurantibus manna pluit e coelo, tibi autem sacramentorum horum figura praecessit, quando Abraham erat, quando vernaculos trecentos decem et

octo collegit, et ibi persecutus est adversarios, de captivitate eruens nepotem suum; tunc victor venit, occurrit illi Melchisedech sacerdos, et obtulit ei panem et vinum (Gen. 14, 18). Quis habuit panem et vinum? Abraham non habuit. Sed quis habuit? Melchisedech. Ipse ergo auctor sacramentorum. Quis est Melchisedech? Qui significatur rex justitiae, rex pacis (Hebr. 7, 1. ss.). Quis est iste rex justitiae? Numquid homo quisquam potest rex esse justitiae? Quis ergo rex justitiae, nisi justitia Dei, qui est Dei pax, Dei sapientia? Qui potuit dicere: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis* (Joan. 14, 27).

11. Ergo primo intellige sacramenta haec quae accipis, anteriora esse quam sint Moysi sacramenta, quaecunque judaei habere se dicunt; et prius coepisse populum christianum [1]) quam coepisse populum judaeorum;

---

[1]) *Prius coepisse populum christianum*, quatenus typi sacramentorum christianorum praecesserunt ipsum populum judaicum, vel, quod fere idem est, prius fuit populus christianus intentione, nam omnia contingebant judaeis in figura (1. Cor. 10, 11), omnia quae ad judaeos spectant ita divinitus sunt instituta et disposita, ut praefigurarent oeconomiam christianam, cui proinde inserviunt: quare haec prior dici debet intentione.

sed nos in praedestinatione, illum in nomine.

12. Obtulit ergo Melchisedech panem et vinum. Quis est Melchisedech? *Sine patre*, inquit, *sine matre, sine generationis ordine, neque initium dierum, neque finem vitae habens*: hoc habet ad Hebraeos epistola (7, 3). Sine patre, inquit, et sine matre est. Similis cui? Filio Dei. Sine matre natus est Dei Filius generatione coelesti, quia ex solo Deo Patre natus est: et iterum sine patre natus est, quando natus ex Virgine est, non enim ex virili semine generatus est: sed natus de Spiritu sancto et virgine Maria, utero editus virginali, similis per omnia Filio Dei [1]). Sacerdos quoque erat Melchisedech, quia et Christus sacerdos, cui dicitur: *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech* (Psal. 109, 4).

CAPUT IV.

Ut persuadeat hoc sacramentum divinius habendum quam manna, ex pane ipsummet Christi corpus ejusdem Christi sermone fieri asseverat: quod postquam allatis variis effectibus, quibus ejusdem sermonis efficacitas claret, confirmavit, cur sanguis sub aliena specie detur, causam reddit.

13. Ergo auctor sacramentorum quis est,

1) *Similis per omnia Filio Dei*; haec compara-

nisi Dominus Jesus? De coelo ista sacramenta venerunt; consilium enim omne de coelo est. Vere autem magnum et divinum miraculum quod populo pluit Deus manna de coelo, et non laborabat populus, et manducabat.

14. Tu forte dicis: Meus panis est usitatus. Sed panis iste panis est ante verba sacramentorum: ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. Hoc igitur adstruamus. Quomodo potest qui panis est, corpus esse Christi? Consecratione. Consecratio autem quibus verbis est et cujus sermonibus? Domini Jesu. Nam reliqua omnia, quae dicuntur in superioribus, a sacerdote dicuntur, laudes Deo deferuntur, oratio petitur pro populo, pro regibus, pro ceteris: ubi venitur ut conficiatur venerabile sacramentum, jam non suis sermonibus utitur sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. Ergo sermo Christi hic conficit sacramentum.

15. Quis est sermo Christi? Nempe is quo facta sunt omnia. Jussit Dominus, et factum est coelum: jussit Dominus, et facta est terra: jussit Dominus, et facta sunt maria. Jussit

---

tione instituta inter Melchisedech et Christum, illationis instar de Melchisedech repetuntur.

Dominus, et omnis creatura generata est. Vides ergo quam operatorius sit sermo Christi. Si ergo tanta vis est in sermone Domini Jesu, ut inciperent esse quae non erant, quanto magis operatorius est, ut sint quae erant, et in aliud commutentur?[1]) Coelum

---

[1]) Lanfrancus l. *de corpore et sanguine Domini* c. 9. testatur, in quibusdam codicibus legi: „Quanto magis operatorius est, ut quae erant in aliud commutentur." Quae literatura, inquit Lanfrancus, plurimum concordat in sententia cum ea, quae in l. ab eodem *de mysteriis* sive initiandis edito in haec verba (c. 9. n. 52.) reperitur: „Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea, quae sunt, in id mutare, quod non erant?" Sed nostram lectionem prae se ferunt editiones veteres et plerique codd. mss.; eam sectantur jam Lanfrancus l. c. et Algerus l. *de sacramentis corp. et sang. dominici* l. 1. c. 7. (*opusc.* XXIII.), qui eam ita explicant, ut dicant, panem et vinum secundum speciem externam esse et manere quae erant; at vero secundum internam substantiam converti in corpus Christi. Maurini editores censent, hisce verbis proponi triplicem omnipotentiae divinae effectum, *creationem* scil. non exsistentium, exsistentium vero vel *conservationem* vel *conversionem* prout Deo visum fuerit. Forte et ita haec verba possunt explicari: Si Deus potest ex nihilo facere quae *non erant*, quare non poterit ex alio facere quae *jam sunt* (adeo ut sit oppositio inter ea quae *non erant* et ea quae *jam sunt*), scil. conversione unius in aliud; neque enim ita fit ex pane corpus Christi, ac si hoc antea

non erat, mare non erat, terra non erat; sed audi dicentem David: *Ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt* (Psal. 157, 5).

16. Ergo tibi ut respondeam, non erat corpus Christi ante consecrationem; sed post consecrationem dico tibi quia jam corpus est Christi. Ipse dixit, et factum est: ipse mandavit, et creatum est. Tu ipse eras sed eras vetus creatura: posteaquam consecratus es, nova creatura esse coepisti [1]. Vis scire quam

---

non fuerit. Quo sensu scil. Goffridus abbas vindocinensis opusc. 1. *de corpore et sanguine D. J. Christi* (Mig. 157, 213.) scribit: „Si quis quaerit, quomodo panis caro Christi et vinum sanguis ejus fieri possit, certe si ea, quae sunt, Dominus non creasset, creata forsitan mutare non posset. Sed minoris miraculi non fuit ex nihilo omnia creare, quam in melius ex omnibus quaedam convertere." Ceterum cf. quae annotavimus ad l. *de mysteriis* c. 8. s. *opusc.* VII.

[1]) Ad haec libenter provocant sacramentarii, ut suadeant, nullam in eucharistia locum habere mutationem *substantialem* sed *accidentalem* tantum, qua panis vulgaris fit sacer et corporis Christi symbolum. Sed quam inepte hoc asserant, patet ex tota auctoris disputatione, quae conversionem substantialem omnino exigit. Cf. quae ad similem exceptionem annotavimus in Cyrilli hierosolymitani catechesim mystag. 1. n. 7. *opusc.* VII, 101.

nova creatura? *Omnis*, inquit, *in Christo nova creatura.*

17. Accipe ergo quemadmodum sermo Christi creaturam omnem mutare consueverit, et mutet, cum vult, instituta naturae. Quomodo requiris? Accipe, et primo omnium de generatione ejus sumamus exemplum. Consuetudo est, ut non generetur homo nisi ex viro et muliere et consuetudine conjugali: sed quia voluit Dominus, quia hoc elegit sacramentum, de Spiritu sancto et Virgine natus est Christus, hoc est, mediator Dei et hominum homo Christus Jesus. Vides ergo quia contra instituta et ordinem natus est, homo est natus ex Virgine?

18. Accipe aliud. Urgebatur populus judaeorum ab aegyptiis, interclusus erat mari (Exod. 14, 21. ss.): divino imperio virga Moyses tetigit aquas, et se unda divisit; non utique secundum suae naturae consuetudinem, sed secundum gratiam coelestis imperii. Accipe aliud. Sitiebat populus, venit ad fontem: amarus erat fons, misit lignum sanctus Moyses in fontem, et factus est dulcis fons, qui amarus erat (Ib. 15, 23. ss.); hoc est, mutavit consuetudinem naturae suae, accepit dulcedinem gratiae. Accipe et quartum exemplum. Ceciderat ferrum securis in

aquas (4. Reg. 6, 6.), quasi ferrum sua consuetudine demersum est: misit lignum Elisaeus, statim ferrum elevatum est et aquis supernatavit, utique contra consuetudinem ferri; est enim materies gravior, quam aquarum est elementum.

19. Ex his igitur omnibus non intelligis, quantum operetur sermo coelestis? Si operatus est in fonte terreno, si operatus est sermo coelestis in aliis rebus, non operatur in coelestibus sacramentis? Ergo didicisti, quod ex pane corpus fiat Christi, et quod vinum et aqua in calicem mittitur: sed fit sanguis consecratione verbi coelestis.

20. Sed forte dicis: Speciem sanguinis non video. Sed habet similitudinem: sicut enim mortis similitudinem sumpsisti, ita etiam similitudinem pretiosi sanguinis bibis [1]; ut

---

[1] Hac comparatione mire delectantur sacramentarii, ut negent realem corporis et sanguinis Christi in eucharistia praesentiam. Sed nihil inde in rem suam elicere possunt. Convenit enim eucharistia cum baptismate, quod utrumque sit *symbolum*, sed baptisma mortis, quam re non incurrimus, ut clare auctor docet l. 2. c. 6.; eucharistia vero corporis et sanguinis Christi praesentis, quam realem praesentiam auctor tam luculenter asserit et probat toto hoc libro. Quare similitudo non est *adaequata*. Rationem au-

nullus horror cruoris sit, et pretium tamen operetur redemptionis. Didicisti ergo quia quod accipis, corpus est Christi.

---

tem, quare maneant species vini, licet realiter adsit ipse Christi sanguis, bene assignat cum aliis patribus, quos cf. *opusc.* XXIII, 112. ss. et *compendii* t. 3. n. 382., quibus adde nonnulla alia testimonia insignia. Goffridus ab. vindocinensis opusc. 1. *de corpore et sanguine D. J. Christi* (Mig. 157, 212.) ita scribit: „Prius quidem panis et vinum super altare ponuntur; sed sicut ante consecrationem nihil aliud praeter propriam panis et vini naturam habent, ita post consecrationem nullam naturam, nullam materiam panis et vini retinent, nisi quantum ad saporem, speciem et odorem; hoc tamen propter infirmitatem hominum et imbecillitatem. Nam si illa gloriosissima caro et sacratissimus ille sanguis non in specie panis et vini, sed in sua propria natura hominibus apparerent, prae sui magnitudine homines illa ferre non possent. Quod si fieri posset, fidei meritum non haberent.“ Hugo lincolniensis inter alia in tract. *de corpore et sanguine Christi* adv. Berengarium (Mig. 142, 1330. s.): „Spiritualibus oculis, inquit, ipsa carnis veritas non negatur. Alioquin fides tanti mysterii deperisset, si cruor in calice fieret manifestus, et si in macello Christo (*al.* Christi) ruberet sua caro, rarus in terris ille, qui hoc non abhorreret. Sed cum vita aeterna non nisi edenti promittitur, perpetuarent morti, qui Christum non coenassent. Sicut enim medicus fastidienti aegroto austeram potionem per alienas dulcedines temperando saporat tantoque intentius, quanto eam amplius novit profuturam; sic noster Procurator et providus conviva prandium suae

CAPUT V.

Ipsis Domini verbis corpus ac sanguinem ejus consecrari et vere confici; proindeque hinc bene colligi prae manna excellere hoc sacramentum, cujus veritas consignatur per vocem: Amen.

21. Vis scire, quia verbis coelestibus consecratur? Accipe quae sunt verba. Dicit

---

carnis coaptavit horrentibus, ut prioris creaturae vultibus reservatis ex formae visione animosius caperetur.“ In *missali mozarabico* exstat praefatio pro dominica II. post Epiph., in qua legimus: „Non hic balatus ovium, non mugitus bovium, non volatilium vox sub ictu mortis dolorem (exprimens) incurrit. Non horror est sanguinis, non fastidii cruditas: sed tam mirabilis atque stupenda est hostia, ut incruenta sit, cum viva sumatur. Nam licet verum corpus edatur, et sanguis manifestissimus hauriatur: nullus tamen horror incutitur, cum salus animarum in spirituali cibo et poculo ministratur.“ Cf. Paschasius Radbertus *de corpore et sang. Domini* cc. 10. 18; Durandus abbas troarnensis l. *de corpore et sanguine Christi* n. 9. (Mig. 149, 1388.), qui verba s. Ambrosii, quae infra l. 6. c. 1. habentur, adducit et expendit; Guitmundus *de corp. et sang. Domini veritate* l. 1. (ib. 1437.); s. Thomas lect. 5. *in* 1. *Cor.* 11; Gregorius M. apud Paulum diaconum in *vita* n. 23; Werner ab. s. Blasii *deflorat. ss. patrum* l. 1. serm. in coena Domini (Mig. 151, 910.) et serm. *de corpore Domini* (ib. 1026.): „Ne humana infirmitas contactum carnis in assumptione horreret, consueti et principalis edu-

sacerdos: Fac nobis, inquit, hanc oblationem adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilem: quod figura est [1]) corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi. Qui pridie quam pateretur, in sanctis manibus suis accepit panem, respexit in coelum ad te, sancte Pater omnipotens aeterne Deus, gratias agens, benedixit, fregit, fractumque apostolis suis et discipulis suis tradidit dicens: *Accipite*

---

lii specie illam velavit et sic sumendam proposuit, ut sensus in uno foveretur et fides in altero aedificaretur. Fovetur sensus in uno, dum solita tantum et consueta percipit. Aedificatur fides autem in altero, dum in eo quod videt, quale sit illud quod non videt agnoscit. Proponitur igitur species panis et vini, ut doceatur plena et perfecta refectio esse in sumptione corporis et sanguinis Christi ex divinitate Christi« etc. ubi plane egregie disputat de praesentia reali et transsubstantiatione. Angelmus *l.* 4 *ep.* 107; auctor *elucidarii* append. op. Anselmi l. 1. c. 28.

[1]) *Quod figura est.* Panis et vinum ante consecrationem, prout hic considerantur, quandam cum corpore et sanguine Christi analogiam seu similitudinem habent, quam ob rem figura corporis et sanguinis dici possunt. Cf. verba Epiphanii diaconi ex concilii nicaeni II, act. 6. *opusc.* XXIII, 45. Sed etiam post consecrationem posset eucharistia dici *figura*, *signum*, *ἀντίτυπος* corporis et sanguinis Christi, ut saepius explicavimus. Cf. *opusc.* VII, 135. XXIII, 43. 151. 202.

et edite ex hoc omnes; hoc est enim corpus meum, quod pro multis confringetur (Luc. 22, 19).

22. Similiter etiam calicem postquam coenatum est, pridie quam pateretur, accepit, respexit in coelum ad te, sancte Pater omnipotens aeterne Deus, gratias agens benedixit, apostolis suis et discipulis suis tradidit dicens: *Accipite et bibite ex hoc omnes; hic est enim sanguis meus* (Matth. 26, 27. 28). Vide illa omnia. Illa verba evangelistae sunt usque ad *Accipite*, sive corpus, sive sanguinem. Inde verba sunt Christi: *Accipite et bibite ex hoc omnes; hic est enim sanguis meus.* Et vide singula.

23. Qui pridie, inquit, quam pateretur, in sanctis manibus suis accepit panem. Antequam consecretur, panis est; ubi autem verba Christi accesserint, corpus est Christi. Denique audi dicentem: *Accipite et edite ex eo omnes; hoc est enim corpus meum.* Et ante verba Christi, calix est vini et aquae plenus: ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis Christi efficitur, qui plebem redemit. Ergo videte quantis generibus potens est sermo Christi universa convertere. Deinde ipse Dominus Jesus testificatur nobis, quod corpus suum accipiamus et sanguinem. Num-

quid debemus de ejus fide et testificatione dubitare?

24. Jam redi mecum ad propositionem meam. Magnum quidem et venerabile, quod manna judaeis pluit e coelo, sed intellige. Quid est amplius, manna de coelo, an corpus Christi? Corpus utique Christi, qui auctor est coeli [1]. Deinde manna qui manducavit, mortuus est: qui manducaverit hoc corpus, fiet ei remissio peccatorum, et non morietur in aeternum.

25. Ergo non otiose dicis tu: Amen, jam in spiritu confitens quod accipias corpus Christi. Dicit tibi sacerdos: Corpus Christi; et tu dicis: Amen, hoc est, verum. Quod confitetur lingua, teneat affectus.

CAPUT VI.

Excellentia sacramenti hujus inde probata, quod per illud dominica passio renovetur, sermonem finit, de materia proximis diebus a se tractanda strictim praemonens.

26. Ut scias autem hoc esse sacramentum, hujus figura ante praecessit. Deinde quantum sit sacramentum, cognosce. Vide quid

---

[1] Cf. quae annotavimus ad l. *de mysteriis* c. 8. n. 49. *opusc.* VII. p. 77. ss.

dicat: Quotiescunque hoc feceritis, toties commemorationem mei facietis, donec iterum adveniam (1. Cor. 11, 26).

27. Et sacerdos dicit: Ergo memores gloriosissimae ejus passionis, et ab inferis resurrectionis, et in coelum ascensionis, offerimus tibi hanc immaculatam hostiam, rationabilem hostiam, incruentam hostiam, hunc panem sanctum et calicem vitae aeternae: et petimus et precamur, ut hanc oblationem suscipias in sublimi altari tuo per manus angelorum tuorum, sicut suscipere dignatus es munera pueri tui justi Abel, et sacrificium patriarchae nostri Abrahae, et quod tibi obtulit summus sacerdos Melchisedech.

28. Ergo quotiescunque accipis, quid tibi dicit Apostolus? Quotiescunque accipimus, mortem Domini annunciamus. Si mortem annunciamus, annunciamus remissionem peccatorum. Si quotiescunque effunditur sanguis, in remissionem peccatorum funditur, debeo illum semper accipere, ut semper mihi peccata dimittantur. Qui semper pecco, semper debeo habere medicinam.

29. Interim et hodie quantum potuimus, explanavimus: sed crastina die sabbato et dominica de orationis ordine dicemus, quemadmodum possumus. Dominus Deus noster

conservet vobis gratiam quam dedit, et oculos quos vobis aperuit, plenius illuminare dignetur per unigenitum Filium suum regem ac salvatorem Dominum Deum nostrum, per quem sibi, et cum quo sibi est laus, honor, gloria, magnificentia, potestas cum Spiritu sancto, a seculis, et nunc, et semper, et in omnia secula seculorum. Amen.

LIBER V.

CAPUT I.

Primum repetit quod jam ante dictum est, sacramenti atque adeo ipsius Christi figuram in Melchisedech ejusque sacrificio praecessisse: tum duplicem causam cur aqua in calice admisceatur, in medium profert.

1. Hesterno sermo noster ac tractatus usque ad sancti altaris sacramenta deductus est. Et cognovimus sacramentorum istorum figuram Abrahae temporibus praecessisse, quando obtulit sacrificium sanctus Melchisedech (Gen. 14, 18), neque initium, neque finem habens dierum. Audi, homo, quid dicat Paulus apostolus ad Hebraeos (Hebr. 7 1. ss.). Ubi sunt qui Filium Dei dicunt esse de tempore Melchisedech? Dictum est, quia neque initium, neque finem dierum habet: si

Melchisedech non habet initium dierum [1]), num Christus habere potuit? Sed non est plus figura quam veritas. Vides ergo, quia ipse primus et novissimus (Apoc. 1, 8). Primus, quia auctor est omnium: novissimus, non quod finem inveniat, sed quod universa concludat.

2. Diximus ergo quod in altari constituatur calix et panis. In calicem quid mittitur? Vinum. Et quid aliud? Aqua. Sed tu mihi dicis: Quomodo ergo Melchisedech panem et vinum obtulit? Quid sibi vult admixtio aquae? Rationem accipe.

3. Primum omnium figura, quae ante praecessit tempore Moysi, quid habet? Quia cum sitiret populus judaeorum et murmuraret, quod aquam invenire non possent, jussit Deus Moysi, ut tangeret petram de virga. Tetigit petram, et petra undam maximam fudit, sicut Apostolus ait: *Bibebant autem de spi-*

---

[1]) *Si Melchisedech non habet initium dierum.* Hoc quidem Paulus dicit Hebr. 7, 3, quatenus Scriptura Mechisedechi ortum reticet, et sub hoc respectu eum exhibet in typum Filii Dei. Hinc Ambrosius infert: Si hoc Scripturae silentium de ortu Mechisedechi secundum quoddam mysterium non [illegible] et typice adumbrat Filium non esse tempori obnoxium, profecto errant qui Christo (quatenus est persona) dierum initium tribuunt.

ritali consequenti eos petra: petra autem erat Christus (1. Cor. 10, 4). Non immobilis petra, quae populum sequebatur. Et tu bibe, ut te Christus sequatur. Vide mysterium. Moyses, hoc est, propheta: virga, hoc est, verbum Dei. Sacerdos verbo Dei tangit petram, et fluit aqua, et bibit populus Dei. Tangit ergo sacerdos, redundat aqua in calice, salit in vitam aeternam, et bibit populus Dei, qui Dei gratiam consecutus est. Didicisti ergo hoc.

4. Accipe et aliud. In tempore dominicae passionis, cum sabbatum magnum instaret, quia vivebat Dominus noster Jesus Christus vel latrones, missi sunt qui percuterent eos: venientes autem invenerunt defunctum Dominum Jesum Christum; tunc unus de militibus lancea tetigit latus ejus, et de latere ejus aqua fluxit et sanguis (Joan. 19, 34). Quare aqua? quare sanguis? Aqua, ut emundaret: sanguis, ut redimeret. Quare de latere? Quia unde culpa, inde gratia. Culpa per feminam: gratia per Dominum Jesum Christum.

CAPUT II.

Quemadmodum qui mundatus fuerit, et invitetur a Christo, et ipse ad inaestimabilem sacramenti suavi-

tatem aspiret, mystica quorundam e Canticis locorum interpretatione ostenditur.

5. Venisti ad altare, vocat te Dominus Jesus, vel animam tuam, vel Ecclesiam, et ait: *Osculetur me ab osculis oris sui* (Cant. 1, 1). Vis ad Christum aptare [1]? Nihil gratius. Vis ad animam tuam? Nihil jucundius.

6. *Osculetur me.* Vides te mundum esse ab omni peccato, quia delicta detersa sunt; ideo te sacramentis coelestibus dignum judicat, et ideo invitat ad coeleste convivium: *Osculetur me ab osculis oris sui.*

7. Tamen propter sequentia anima tua, vel humana conditio, vel Ecclesia videns se ab omnibus mundatam esse peccatis, et dignam quae ad altare Christi possit accedere (quid est enim altare [2]) nisi forma corporis Christi), vidit sacramenta mirabilia et ait: *Osculetur me ab osculis oris sui*, hoc est, osculum mihi Christus infigat.

8. Quare? *Quia meliora ubera tua super*

---

[1]) *Ad Christum aptare* i. e. de Christo intelligere haec verba.

[2]) *Nisi forma corporis Christi.* Dicitur hic et supra l. 4. c. 2. n. 7. altare forma seu figura corporis Christi, eo quod in corpore suo tamquam in ara sacra perpetuum ac juge sacrificium Patri obtulit Christus Dominus. Editores M a u r i n i.

vinum; hoc est, meliores sensus, meliora sacramenta tua super vinum. Super illud vinum, quod etsi suavitatem habet, laetitiam habet, gratiam habet; tamen in illo laetitia secularis, in te autem jucunditas est spiritalis. Jam tunc ergo Salomon inducit nuptias vel Christi et Ecclesiae, vel spiritus et carnis et animae.

9. Et addidit: *Unguentum exinanitum est nomen tuum, propterea adolescentulae dilexerunt te* (Cant. 1, 2.). Quae sunt istae adolescentulae, nisi animae singulorum, quae deposuerunt istius corporis senectutem, renovatae per Spiritum sanctum?

10. Attrahe nos post odorem unguentorum tuorum *curremus* (Ibid. 3). Vide quid dicat. Non potes sequi Christum, nisi ipse te attrahat. Denique ut scias: *Cum exaltatus*, inquit, *fuero*, *omnia traham ad me ipsum* (Joan. 12, 32).

11. *Induxit me Rex in cubiculum suum.* Graecus: In promptuarium suum et in cellarium suum, habet. Ubi bona libamina, ubi mella suavia, ubi fructus diversi, ubi epulae variae; ut plurimis epulis tuum prandium condiatur.

CAPUT III.

Quam uberes ad eos, qui dominicum corpus acceperint, fructus redeant; et quonam modo Ecclesiae de convivarum multitudine gestienti respondeat Christus: quantam denique fideles ex aegyptiaca servitute reduces in hac esca sentiant jucunditatem.

12. Ergo venisti ad altare, accepisti corpus Christi. Audi iterum quae sacramenta es consecutus. Audi dicentem sanctum David: et ille in Spiritu haec mysteria praevidebat et laetabatur, et nihil sibi abesse dicebat. Quare? Quia qui acceperit corpus Christi, non esuriet in aeternum.

13. Quoties audisti vicesimum secundum Psalmum, et non intellexisti? Vide quemadmodum aptus sit coelestibus sacramentis: *Dominus pascit me, et nihil mihi deerit: in loco pascuae ibi me collocavit. Super aquam refectionis educavit me, animam meam convertit. Deduxit me super semitas justitiae propter nomen suum. Nam et si ambulem in medio umbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Virga imperium, baculus passio est, hoc est, aeterna Divinitas Christi, sed etiam passio corporalis: illa creavit, haec redemit. *Parasti in conspectu meo mensam adversus*

eos qui tribulant me. Impinguasti in oleo caput meum, et poculum meum, inebrians quam praeclarum est.

14. Venistis ergo ad altare, accepistis gratiam Christi, sacramenta estis coelestia consecuti. Gaudet Ecclesia redemptione multorum, et adstare sibi familiam candidatam spiritali exsultatione laetatur. Habes hoc in Canticis Canticorum. Laetata invocat Christum, paratum habens convivium, quod dignum coelesti epulatione videatur. Ideoque ait: *Descendat frater meus in hortum suum, et capiat fructum pomiferarum suarum.* Quae sunt istae pomiferae? Lignum aridum factus eras in Adam: sed nunc per gratiam Christi pomiferae arbores pullulatis.

15. Libenter accipit Dominus Jesus, et dignatione coelesti respondit Ecclesiae suae: *Descendi*, inquit, *in hortum*, *vindemiavi myrrham cum unguentis meis: manducavi panem meum cum melle meo, et bibi vinum meum cum lacte meo. Edite*, inquit *fratres mei, et inebriamini.* (Cant. 5, 1).

16. *Vindemiavi myrrham cum unguentis meis.* Quae est ista vindemia? Cognoscite vineam, et agnoscetis vindemiam. *Vineam*, inquit, *ex Aegypto transtulisti* (Psal. 79, 9) hoc est, populum Dei. Vos estis vinea, vos

estis vindemia: quasi vinea plantati, quasi vindemia fructum dedistis. *Vindemiavi myrrham cum unguentis meis*, hoc est, in odorem quem accepistis.

17. *Manducavi panem meum cum melle meo.* Vides quod in hoc pane nulla sit amaritudo, sed omnis suavitas sit? *Bibi vinum meum cum lacte meo.* Vides hujusmodi esse laetitiam, quae nullius peccati sordibus polluatur! Quotiescunque enim bibis, remissionem accipis peccatorum, et inebriaris in spiritu. Unde et Apostolus ait: *Nolite inebriari vino ... sed implemini Spiritu sancto;* vino enim qui inebriatur, vacillat et titubat: Spiritu qui inebriatur, radicatus in Christo est. Et ideo praeclara ebrietas, quae sobrietatem mentis operatur. Haec sunt quae de sacramentis breviter percurrimus.

CAPUT IV.

Ut novos fideles instituat orandi forma, propositam ipsis instar speculi dominicam orationem paucis exponit.

18. Nunc quid superest, nisi oratio? Et nolite putare mediocris esse virtutis scire quemadmodum oretis. Apostoli sancti dicebant ad Dominum Jesum: *Domine, doce*

nos orare, quemadmodum Joannes docuit discipulos suos. Tunc ait Dominus orationem: *Pater noster, qui es in coelis: sanctificetur nomen tuum: adveniat regnum tuum: fiat voluntas tua, sicut in coelo et in terra: panem nostrum quotidianum da nobis hodie: et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris: et ne nos patiaris induci in tentationem, sed libera nos a malo* (Luc. 11, 1. s.) Vides quam brevis oratio et omnium plena virtutum: primus sermo quantae sit gratiae!

19. O homo, faciem tuam non audebas ad coelum attollere, oculos tuos in terram dirigebas, et subito accepisti gratiam Christi, omnia tibi peccata dimissa sunt. Ex malo servo factus es bonus filius; ideo praesume non de operatione tua, sed de Christi gratia. *Gratia enim salvati estis* (Ephes. 2, 5), Apostolus ait. Non ergo hic arrogantia est, sed fides: praedicare quod acceperis non est superbia, sed devotio. Ergo attolle oculos ad Patrem, qui te per lavacrum genuit: ad Patrem, qui te per Filium redemit et dic: *Pater noster.* Bona praesumptio, sed moderata. Patrem dicis quasi filius: sed noli tibi specialiter aliquid vindicare. Solius Christi specialis est Pater, nobis omnibus in commune est Pater;

quia illum solum genuit, nos creavit. Dic ergo et tu per gratiam *Pater noster*, ut filius esse merearis. Ecclesiae contuitu et consideratione te ipse commenda.

20. *Pater noster, qui es in coelis.* Quid est, *in coelis?* Audi Scripturam dicentem: *Excelsus super omnes coelos Dominus* (Psal. 112, 4). Et ubique habes, quod super coelos coelorum Dominus sit, quasi non in coelis et angeli, quasi non in coelis et dominationes. Sed in illis coelis, de quibus dictum est: *Coeli enarrant gloriam Dei* (Ib. 18, 2). Coelum est ibi, ubi cessabit culpa: coelum est ibi, ubi flagitia feriantur: coelum est ibi, ubi nullum mortis est vulnus.

21. *Pater noster, qui es in coelis: sanctificetur nomen tuum.* Quid est *sanctificetur?* Quasi optemus ut sanctificetur ille, qui ait: *Estote sancti, quia ego sanctus sum* (Levit. 19, 2), quasi aliquid ei ex nostra precatione sanctificationis accedat. Non, sed sanctificetur in nobis, ut ad nos ejus possit sanctificatio pervenire.

22. *Pater noster, qui es in coelis: sanctificetur nomen tuum: veniat regnum tuum.* Quasi non aeternum sit Dei regnum. Ipse Jesus dicit: *Ego in hoc natus sum* (Joan. 19, 2), et tu dicis Patri: *Veniat regnum*

tuum, quasi non venerit. Sed tunc venit regnum Dei, quando ejus estis gratiam consecuti. Ipse enim ait: *Regnum Dei intra vos est* (Luc. 17, 21).

23. *Veniat regnum tuum: fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra: panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Sanguine Christi pacificata sunt omnia, vel in coelo, vel in terra: sanctificatum est coelum, dejectus est diabolus. Ubi versatur? Ubi et homo, quem ille decepit. *Fiat voluntas tua*, hoc est, sit pax in terra, quemadmodum in coelo.

24. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Memini sermonis mei cum de sacramentis (l. 4. c. 4.) tractarem. Dixi vobis, quod ante verba Christi quod offertur, panis dicatur: ubi Christi verba deprompta fuerint, jam non panis dicitur, sed corpus appellatur. Quare ergo in oratione dominica, quae postea sequitur, ait: *Panem nostrum*? Panem quidem dixit, sed ἐπιούσιον, hoc est, supersubstantialem. Non iste panis est, qui vadit in corpus: sed ille panis vitae aeternae (Joan. 6, 35), qui animae nostrae substantiam fulcit. Ideo graece ἐπιούσιος dicitur: latinus autem hunc panem quotidianum dixit, quem graeci dicunt τήν ἐπιοῦσαν ἡμέραν ad-

venientem diem. Ergo quod latinus dixit et quod graecus, utrumque utile videtur: graecus utrumque uno sermone significavit, latinus quotidianum dixit.

25. Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, quemadmodum graeci in Oriente facere consuerunt? Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit. Sic vive, ut quotidie merearis accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere. Quomodo Job sanctus pro filiis suis offerebat quotidie sacrificium (Job. 1, 5), ne forte aliquid vel in corde, vel in sermone peccassent? Ergo tu audis, quod quotiescunque offertur sacrificium, mors Domini, resurrectio Domini, elevatio Domini significetur et remissio peccatorum: et panem istum vitae non quotidianum assumis? Qui vulnus habet, medicinam requirit. Vulnus est, quia sub peccato sumus: medicina est coeleste et venerabile sacramentum.

26. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Quotidie si accipis, quotidie tibi hodie est. Si tibi hodie est Christus, tibi quotidie resurgit. Quomodo? *Filius meus es tu, ego hodie genui te* (Psal. 2, 7). Hodie ergo est, quando Christus resurgit. *Heri et hodie ipse est* (Hebr. 13, 8), apostolus Pau-

lus ait. Sed et alibi ait: *Nox praecessit, dies autem appropinquavit* (Rom. 13, 12): nox hesterna praecessit, dies hodiernus appropinquavit.

27. Sequitur: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Debitum quid est, nisi peccatum? Ergo si non acciperes alieni foenoris pecuniam, non egeres; et ideo peccatum tibi imputatur. Habuisti pecuniam, cum qua dives nascereris. Dives eras ad imaginem et similitudinem Dei factus: perdidisti quod habebas, hoc est, humilitatem, dum arrogantiam desideras vindicare: perdidisti pecuniam, sicut Adam nudus es factus (Gen. 3, 7): accepisti a diabolo debitum, quod non erat necessarium. Et ideo qui eras liber in Christo, debitor factus es diaboli. Cautionem tuam tenebat inimicus, sed eam Dominus crucifixit et suo cruore delevit (Coloss. 2, 14): abstulit debitum tuum, reddidit libertatem.

28. Bene ergo ait: *Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Vide quid dicas: Quomodo ego dimitto, sic et tu dimitte mihi. Si dimiseris, bene convenis, ut dimittatur tibi. Si non dimittis, quomodo eum convenis, ut dimittatur tibi?

29. *Et ne patiaris induci nos in tentationem, sed libera nos a malo.* Vide quid dicat: *Et ne patiaris induci nos in tentationem*, quam ferre non possumus. Non dicit: Non inducas in tentationem, sed quasi athleta talem vult tentationem, quam ferre possit humana conditio; et unusquisque a malo, hoc est, ab inimico, a peccato liberetur.

30. Potens est autem Dominus, qui abstulit peccatum vestrum, et delicta vestra donavit, tueri et custodire vos adversum diaboli adversantis insidias, ut non vobis obrepat inimicus, qui culpam generare consuevit. Sed qui Deo se committit, diabolum non timet; *Si enim Deus pro nobis, quis contra nos* (Rom. 8, 31)? Ipsi ergo laus et gloria a seculis, et nunc et semper, et in omnia secula seculorum. Amen.

LIBER VI.

CAPUT I.

Cum Christi vera caro et verus sanguis in sacramento sint divini scilicet verbi omnipotentia consecrati, et aliena specie, ne offensionem pariant, tecti; ex hoc intelligi nos divinae substantiae in illo alimento esse participes.

1. Sicut verus est Dei Filius Dominus noster Jesus Christus, non quemadmodum

homines per gratiam, sed quasi Filius ex substantia Patris; ita vera caro, sicut ipse dixit, quam accipimus, et verus ejus est potus [1]).

2. Sed forte dicas (quod dixerunt tunc temporis etiam discipuli Christi audientes dicentem: *Nisi quis manducaverit carnem meam, et biberit sanguinem meum, non manebit in me, nec habebit vitam aeternam* Joan. 6, 54), forte dicas: Quomodo vera? Qui similitudinem video, non video sanguinis veritatem.

3. Primo omnium dixi tibi (l. 4. c. 4.) de sermone Christi, qui operatur, ut possit mutare et convertere genera instituta naturae. Deinde ubi non tulerunt sermonem Christi discipuli ejus, audientes quod carnem suam daret manducare et sanguinem suum daret bibendum, recedebant (Joan. 6, 67); solus tamen Petrus dixit: *Verba vitae aeternae habes, et ego a te quomodo recedam* (Ibid. 69)? Ne igitur plures hoc dicerent, veluti quidam esset horror cruoris, sed maneret gra-

---

[1]) Nihil efficacius dici poterat, ut significaretur realis corporis et sanguinis Christi in eucharistia praesentia, ut advertimus jam *opusc.* VII, 87. annot. ex XXIII, 42. annot.

tia redemptionis, ideo in similitudinem quidem accipis sacramentum, sed vere naturae gratiam virtutemque consequeris.

4. *Ego sum*, inquit, *panis vivus qui de coelo descendi* (Joan. 6, 41). Sed caro non descendit e coelo, hoc est, carnem in terris assumpsit ex Virgine. Quomodo ergo descendit panis e coelo et panis vivus? Quia idem Dominus noster Jesus Christus consors est et Divinitatis et corporis: et tu qui accipis carnem, divinae ejus substantiae in illo participaris alimento.

CAPUT II.

In sacramentis omnibus Trinitatis operationem divinarumque personarum aequalitatem adverti posse, ubi obiter perstringitur error arianorum.

5. Ergo accepisti de sacramentis, plenissime cognovisti omnia, quod baptizatus es in nomine Trinitatis. In omnibus quae egimus, servatum est mysterium Trinitatis. Ubique Pater et Filius et Spiritus sanctus, una operatio, una sanctificatio; etsi quaedam veluti specialia esse videantur.

6. Quomodo? Deus, qui te unxit, et signavit te Dominus, et posuit Spiritum sanctum in corde tuo (2. Cor. 1, 21. 22). Acce-

pisti ergo Spiritum sanctum in corde tuo. Accipe aliud, quia quemadmodum Spiritus sanctus in corde, ita etiam Christus in corde. Quomodo? Habes hoc in Canticis Canticorum Christum dicentem ad Ecclesiam: *Pone me sicut signaculum in corde tuo, sicut signaculum in brachiis tuis* (Cant. 8, 6).

7. Ergo unxit te Deus, signavit te Christus. Quomodo? Quia ad crucis ipsius signatus es formam, ad illius passionem: accepisti signaculum ad illius similitudinem; ut ad ipsius formam resurgas, ad ipsius vivas figuram, qui peccato crucifixus est et Deo vivit (Rom. 6, 4. s.): et tuus homo vetus in fonte demersus, peccato crucifixus est, sed Deo resurrexit.

8. Deinde habes alibi speciale, quod te vocaverit Deus, in baptismate autem quasi specialiter concrucifigeris Christo. Deinde quasi specialiter, quando accipis spiritale signaculum, vide distinctionem personarum esse, sed connexum omne mysterium Trinitatis.

9. Deinde quid Apostolus tibi dixit, ut lectum est nudiustertius? *Divisiones autem gratiarum sunt, idem autem Spiritus. Divisiones ministeriorum sunt, idem autem Dominus. Divisiones operationum sunt,*

idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus (1. Cor. 12, 4. s.). Omnia, inquit, operatur Deus. Sed et de Spiritu Dei lectum est: *Unus atque idem Spiritus dividens singulis prout vult* (ib. 11). Audi Scripturam dicentem, quia dividit Spiritus pro voluntate sua, non pro obsequio. Ergo dividit vobis Spiritus gratiam prout vult, non prout jubetur; et maxime quia Spiritus Dei, Spiritus Christi est. Et illud tenete ipsum esse Spiritum sanctum, ipsum Spiritum Dei, ipsum Spiritum Christi, ipsum Spiritum Paracletum.

10. Ariani putant se derogare sancto Spiritui, si dicant illum Spiritum Paracletum. Quid est Paracletus, nisi consolator? Quasi non et de Patre lectum sit, quia ipse est Deus consolationis (2. Cor. 1, 3). Vides ergo, quia in eo derogandum putant Spiritui sancto, in quo Patris aeterni potestas pio praedicatur affectu.

CAPUT III.

Orandi rationem traditurus Christi atque apostoli verba inter se conciliat, cubiculum de quo loquitur Christus, de secreto cordis ac silentio interpretandum esse declarans.

11. Nunc quomodo orare debeamus acci-

pite. Multae virtutes orationis sunt. Ubi orare debeamus non est mediocre, nec mediocris quaestio. Ait Apostolus: *Volo autem viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira et disceptatione* (1. Tim. 2, 8). Et Dominus dicit in Evangelio: *Tu autem, cum oras, intra in cubiculum tuum; et, clauso ostio, ora Patrem tuum* (Matth. 6, 6). Non tibi videtur esse contrarium, ut dicat Apostolus: *In omni loco ora*; et Dominus dicat: *Intra in cubiculum tuum, et ora?* Sed non est contrarium. Hoc ergo absolvamus: deinde quomodo debeas incipere orationem, et quo ordine distinguere, quid subtexere, quid allegare, quemadmodum claudere orationem, deinde pro quo orare debeas: haec omnia dicamus.

12. Primo ubi orare debeas. Aliud Paulus videtur dicere, aliud Dominus. Numquid potuit Paulus contra Christi docere praecepta? Non utique. Qua ratione? Quia non contrarius, sed interpres est Christi: *Imitatores*, inquit, *mei estote, sicut et ego Christi* (1. Cor. 4, 16). Quid ergo? Potes ubique orare, et in cubiculo tuo semper orare. Habes ubique cubiculum tuum. Etsi inter gentes, inter judaeos positus sis; habes tamen ubique tuum secretum. Cubiculum tuum mens tua

est. In populo licet positus, tamen in interiore homine arcanum tuum secretumque conservas.

13. *Tu autem, cum oras, intra in cubiculum tuum.* Bene ait, *intra;* ne sic ores quomodo judaeus, cui dicitur: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* (Isaï. 9, 13). Non ergo de labiis tantummodo tua procedat oratio. Animo totus intende, intra in recessum pectoris tui, totus ingredere. Non te perfunctorium videat ille, cui te placere desideras. Videat quia ex corde oras, ut te ex corde orantem dignetur audire.

14. *Tu autem, cum oras, intra, in cubiculum tuum.* Habes hoc et alibi: *Ambula, populus meus, et intra in recessus tuos, claude ostium tuum, abscondere pusillum, donec transeat ira Domini* (Ibid. 26, 20). Hoc locutus est Dominus per prophetam: in Evangelio autem dixit: *Tu autem, cum oras, intra in cubiculum tuum; et clauso ostio, ora Patrem tuum.*

15. Quid et clauso ostio? Audi quod ostium habeas, quod debeas claudere, quando oras. Utinam mulieres audirent! Audisti jam; sanctus David docuit te dicens: *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium cir-*

cuitus labiis meis (Psal. 140, 3). Est alibi ostium, quod ait apostolus Paulus dicens: *Ut aperiatur*, inquit, *mihi ostium verbi ad loquendum mysterium Christi* (Coloss. 4, 3); hoc est, quando oras, noli sermone clamare, nec diffundere orationem tuam, nec jactare per populos. In secreto tuo ora, securus quod te in secreto possit audire, qui omnia videt atque audit universa. Et ora Patrem tuum in abscondito, qui audit te in abscondito deprecantem.

CAPUT IV.

Quare secreto potius orandum sit, quam cum vociferatione: quare etiam viri in omni loco orare debeant, non autem mulieres: quonamve spectent voces subjectae: Levantes puras manus, etc.

16. Quid prosit autem interrogemus, qua ratione secreto magis orare debeamus, quam cum vociferatione. Audi: De consuetudine hominum sumamus exemplum. Si aliquem rogas, qui cito audit, non opus putas esse clamorem: sensim rogas voce moderata. Si surdum aliquem roges, nonne incipis vociferari, ut te ille possit audire? Qui ergo clamat, putat quod aliter Deus non possit nisi clamantem audire; et cum rogat eum, ejus derogat potestati: qui autem in silentio orat,

fidem defert et confitetur, quod Deus scrutator cordis et renis sit (Psal. 7, 10), et orationem tuam ante ille audiat, quam tuo ore fundatur.

17. Ergo videamus: *Volo autem viros orare in omni loco* (1. Tim. 2, 8). Qua ratione viros dixit? Utique communis oratio est et mulieribus et viris. Quod non invenio, nisi forte sanctus Apostolus ideo viros dixit, ne mulieres usurparent, et male intelligerent *in omni loco*, et inciperent ubique clamare, quas in Ecclesia sustinere non possumus.

18. *Volo autem viros*, hoc est, qui possint servare praeceptum, *orare in omni loco, levantes puras manus*. Quid est, *levantes puras manus?* Numquid debes in oratione tua crucem Domini gentibus demonstrare [1]? Illud quidem signum virtutis

---

[1]) Respicit veterem christianorum usum, quo supplicantes brachia elevabant in crucis modum. Advertit autem, Paulum non de hoc ritu esse praecipue intelligendum, cum ait *levantes puras manus*, sed sensu potius spirituali. Hinc si semel vel iterum brachiis elevatis fidelis oraverit, sufficere, dummodo curet deinde innocentiae studere et corde innocenti orare. Ceterum nonnihil obscurum est hoc auctoris monitum, sicut plura alia Ambrosii monita, quae ex Scripturae testimoniis sensu allegorico vel spirituali explicatis deducere solet.

est, non pudoris. Est tamen quomodo possis orare, nec figuram demonstres, sed actus tuos leves. Si vis operari orationem tuam, leva puras manus per innocentiam. Leva eas non quotidie: semel levasti, non opus est, ut iterum leves.

19. *Volo autem in omni loco viros orare, levantes puras manus sine ira et disceptatione* (1. Tim. 2, 8). Nihil verius: *Ira*, inquit, *perdit etiam sapientes*. Ideo omni tempore, quantum fieri potest, christianus vir iracundiam debet temperare, et maxime quando ad orationem accedit; ne perturbet animum tuum indignatio irae, ne quidam furor impediat orationem tuam: sed magis placido accede pectore. Quid enim irasceris? Servus peccavit? Tu accedis ad orationem, ut tua tibi delicta donentur, et alii indignaris? Hoc est, *sine ira*.

CAPUT V.

De inordinata orantium disceptatione, et qua modestia mulieres orare oporteat: item de inchoatione orationis ejusque medio ac fine; cum iterata dominicae orationis expositione, quae tractatum ducit ad umbilicos.

20. Nunc de disceptatione videamus. Ple-

rumque negotiator venit ad orationem, aut avarus: alter de pecunia cogitat, alter de lucro, alter de honore, alter de cupiditate; et putat quod eum Deus possit audire. Et ideo quando oras, divina humanis praeferre te convenit.

21. *Similiter et mulieres*, inquit, *volo orare non jactantes se in ornamentis, neque in margaritis* (1. Tim. 2, 9), ait apostolus Paulus. Sed et apostolus Petrus: Mulieris, inquit, gratia plurimum valet, ut viri ejus convertatur affectus per uxoris suae bonam conversationem, et incredulus se convertat ad gratiam Christi (1. Petr. 3, 1. 2). Hoc valet mulieris gravitas et pudicitia et ejus bona conversatio, ut virum suum vocet ad fidem et devotionem, quod et prudentis viri sermo frequenter operatur. Ergo mulier, inquit, non in ornatu capillorum, non in tortis crinibus ornamentum suum habeat, sed in oratione ex corde puro (Ibid. 3, 4); ubi est absconditus cordis homo, qui semper est apud Deum locuples. Habes ergo, in quo sis dives. In Christo divitiae tuae pudicitiae sunt et castitatis infulae, fides, devotio et misericordia. Hi sunt thesauri justitiae, sicut propheta memoravit (Isai. 33, 6).

22. Deinde unde debeas incipere [1]). Dic mihi, si velis hominem rogare, et sic incipias: Da mihi, ecce illud quod te peto; nonne arrogans videtur oratio? Et ideo inchoari oratio debet a Dei laude, ut roges omnipotentem Deum, cui possibilia sunt omnia, qui habet voluntatem praestandi. Sequitur obsecratio, sicut Apostolus docuit dicens: *Obsecro ergo primum fieri orationes, obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones* (1. Tim. 2, 1). Prima ergo oratio laudem debet habere Dei: secunda supplicationem: tertia postulationem: quarta gratiarum actionem. Non debes quasi famelicus ad cibum de cibo primum incipere, sed ante a laudibus Dei.

23. Unde et oratores isti sapientes hanc habent disciplinam, ut judicem fautorem sibi praestent: incipiunt a laudibus ejus, ut benevolum sibi faciant cognitorem. Deinde paulatim incipit rogare judicem, ut patienter dignetur audire. Audet tertio postulationem suam depromere, quid petat exprimere. Quarto quomodo coepit a laudibus Dei, sic debet in laudem desinere.

24. Habes hoc in Oratione dominica: *Pa-*

---

[1]) Supple ex n. 20. *videamus.*

ter noster, qui es in coelis (Matth. 6, 9). Laus Dei est, quod pater praedicatur: in eo pietatis gloria. Laus Dei, quia in coelis habitat, non in terris. *Pater noster, qui es in coelis, sanctificetur nomen tuum*, id est, ut sanctificet servos suos; nomen enim illius sanctificatur in nobis, quando praedicantur homines christiani. Ergo optantis est, *sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum.* Postulatio, ut in nobis sit regnum Christi. Si Deus in nobis regnat, locum habere adversarius non potest. Culpa non regnat, peccatum non regnat: sed regnat virtus, regnat pudicitia, regnat devotio. Deinde: *Fiat voluntas tua, sicut in coelo et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Haec postulatio maxima est eorum, quae postulantur [1]). *Et dimitte*, inquit, *nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Ideo quotidie accipe, ut quotidie debito tuo indulgentiam petas. *Et ne patiaris nos induci in tentationem: sed libera nos a malo.* Quid sequitur? Audi, quid dicat sacerdos: per Dominum nostrum Je-

---

[1]) *Haec postulatio maxima est*, quia scil. ea petimus, ut digni reddamur participatione corporis Christi. *Ideo quotidie accipe* scil. eucharistiam.

sum Christum, in quo tibi est, cum quo tibi est honor, laus, gloria, magnificentia, potestas cum Spiritu sancto a seculis, et nunc et semper, et in omnia secula seculorum. Amen.

25. Aliud: Psalmorum David licet unus libellus sit, habens eas virtutes orationis, quas supra diximus; tamen plerumque et in uno Psalmo omnes istae orationis partes inveniuntur, quomodo in octavo Psalmo invenimus. Denique sic coepit: *Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!* Oratio ergo prima. Deinde obsecratio: *Quoniam videbo coelos tuos, opera digitorum tuorum*: hoc est, *coelos videbo, lunam et stellas, quas tu fundasti.* Utique non coelum dicit videbo, sed videbo coelos, in quibus incipit albescere gratia et splendor coelestis. Hos sibi coelos tunc promittebat Propheta dari, qui coelestem gratiam a Domino mererentur. *Lunam et stellas, quas tu fundasti:* lunam Ecclesiam, stellas, vocat sanctos coelesti gratia refulgentes. Deinde vide postulationem ejus: *Quid est homo, quod meministi ejus: aut filius hominis, quoniam visitas eum? Minorasti eum paulo minus ab angelis, gloria et honore coronasti eum, et constituisti*

eum super opera manuum tuarum. Et alia gratiarum actio: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves et boves universas, insuper et pecora campi, etc.*

26. Docuimus pro captu nostro forsitan quod non didicimus; et ut potuimus, expressimus. Sanctitas vestra institutis sacerdotalibus informata, laboret tenere, quod accepit a Deo: et oblatio sicut hostia pura, in vobis semper suum signaculum recognoscat, ut et ipsi ad gratiam et ad praemia virtutum pervenire possitis, per Dominum nostrum Jesum Christum: cui est gloria, honor, laus, perpetuitas a seculis, et nunc et semper et in omnia secula seculorum. Amen.

S. AUR. AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
DE UNICO BAPTISMO
CONTRA
PETILIANUM AD CONSTANTINUM
LIBER UNUS[1].

Petiliani librum de unico baptismate, quod ille in sola vera Ecclesia, imo in sola Donati parte esse contendebat, refellit Augustinus. Docet unici baptismi etiam in haereticis repertam veritatem approbandam esse, non violandam. Ad Cypriani martyris et aliorum ex Africa, qui cum ipso aliter sensisse objectantur, episcoporum auctoritatem respondet. Neminem in Ecclesiae unitate maculari alienis peccatis, ex ipsius Cypriani facto probat contra Donatistarum schisma. Postremo Petiliani calumnias Melchiadi et aliis quibusdam Catholicis episcopis illatas propulsat.

1. Respondere adversa sentientibus et a regula veritatis errantibus, Constantine frater,

---

[1]) Licet jam aliquot ediderimus patrum opuscula, in quibus *de baptismo* disputant, illis hunc Augustini addimus libellum, quod in eo data opera gravem

saepissime cogimur, etiam de his rebus, quas aliis atque aliis sermonibus frequentavimus[1]). Quod utiliter existimo fieri, et propter eorum ingenia tardiora, qui putant aliud dici, cum aliquid legunt aliter dici; et propter ipsam disputationum copiam, ut non solum ad diligentes res rara perveniat, sed quodlibet ex

---

expendat quaestionem, quare hoc sacramentum iterare non liceat. De illius scribendi occasione haec *Retract.* l. 2. c. 34. s. doctor testatur: „Eodem tempore librum *de unico baptismo* amicus quidam meus a nescio quo donatista presbytero accepit indicante, quod Petilianus episcopus eorum constantiniensis eum scripserit. Hunc ad me ille attulit ac vehementer, ut ei responderem, rogavit, et factum est. Librum autem etiam meum, in quo respondi, eundem titulum habere volui, hoc est, *de unico baptismo.*" Ex rationibus internis censent editores maurini, librum hunc conscriptum fuisse circa a. 410; Fessler c. a. 406—410. Sed ex Augustini testimonio supra citato videtur scriptus eodem tempore, quo contra pelagianos edidit *de peccatorum meritis et remissione* ll. 3. de quibus egerat *Retract.* l. 2. c. 33. seu praecedenti. Atqui certum est hos libros editos fuisse a. 412. Nisi dicere velimus vel illa verba *eodem tempore* sat laxe esse accipienda, sive ordinem capitum l. 2. *Retract.* nonnihil esse perturbatum.

1) *Frequentavimus.* Saepius jam tractaverat s. doctor hoc argumentum contra donatistas de valore baptismi ab haereticis collati, nominatim in septem libris *de baptismo*, quos scripserat c. a. 400.

multis in manus etiam negligentioris incurrat. Proinde sermonem de unico baptismo ab eis compositum, a quibus baptismus iteratur, quem mihi cum in rure simul essemus, a nescio quo Donatistarum presbytero acceptum dedisti, atque ut ei responderem multum petisti, non nisi verborum strepitu inflatum et calumniosis criminationibus asperatum, vide adjuvante Domino quanto facilitate confutem.

2. Prima illic invidia est: Quod ventilatur in publico res secreta [1]). Taceant ergo qui hoc fieri debere non putant. Aut si ad loquendum cogi se dicunt, ut respondeant contra sentientibus; haec etiam nostra causa est, ut respondeamus, non solum contra sentientibus, verum etiam contra facientibus. Debet enim palam redargui, quod in occulto nocet; quia et palam defenditur, cum suadetur in occulto, quod noceat cum perficitur. Nam quis coram profanis quemquam baptizat? Et tamen baptizari christianos nullus

---

[1]) *Res secreta.* Eo enim tempore vigebat adhuc in ecclesia africana disciplina arcani (cf. *opusc.* XXIII, 6. ss. annot.), ut patet ex plurimis s. Augustini testimoniis. Ad hanc autem spectabant generatim sacramenta.

profanus ignorat, qui audit in publico, quod si credit, percipiat in secreto.

3. Videamus ergo de baptismatis iteratione quid dicant, qui verecundantur hoc in aperto dicere, quod utinam in aperto timerent admittere. Ubi sit, inquit, verum baptisma quaeritur. Deinde subjungit: Usque adeo meum est, ut quod a me unicum datum est, nec ab ipsis sacrilegis iteretur [1]). Cui respondemus: Sacrilegus non est, qui unicum baptisma, non quod tuum, sed quod Christi est, iterare non audet. Christi est enim unica hominis in baptismate consecratio, tua est autem unici baptismatis iteratio. Corrigo in te quod tuum est, agnosco quod Christi est. Hoc enim justum est, ut cum mala hominum reprobamus, quaecunque in illis bona Dei reperimus, approbemus. Hoc, inquam, justum est, ut etiam in sacrilego non violem, quod verum invenio sacramentum; nec sic emendem sacrilegum, ut in eo perpetrem sacrilegium.

4. Nam sic sunt isti mali in baptismo

---

[2]) *Ab ipsis sacrilegis iteretur.* Inepte inferebat Petilianus, baptismum verum legitimumque esse apud ipsos i. e. donatistas, quod vel catholici illum agnoscerent, neminem a donastis baptizatum et ad Ecclesiam catholicam redeuntem iterum baptizantes.

bono, quemadmodum sunt judaei mali in lege bona. Itaque ut illi per ipsam legem judicabuntur, quam malitia sua malam non fecerunt: ita et isti per ipsum baptismum judicabuntur, quem bonum mali tenuerunt. Ergo quemadmodum judaeus, cum ad nos venerit ut christianus fiat, non in eo destruimus bona Dei, sed mala ipsius: nam quod errat non credendo, quod Christus jam venerit, natusque et passus sit et resurrexerit, hoc emendamus, eaque infidelitate destructa, fidem qua haec creduntur, adstruimus: item quod errat umbris veterum sacramentorum inhaerendo dissuademus; jamque venisse tempus, quo haec auferenda atque mutanda prophetae praedixerant, demonstramus: quod vero unum Deum colendum credit, qui fecit coelum et terram, quod omnia idola et sacrilegia gentium detestatur, quod futurum exspectat judicium, quod vitam sperat aeternam, quod de carnis resurrectione non dubitat, laudamus, approbamus, agnoscimus; sicut credebat credenda, sicut tenebat tenenda firmanus. Ita etiam cum ad nos venit schismaticus vel haereticus, ut catholicus fiat, schisma ejus et haeresim dissuadendo et destruendo rescindimus: sacramenta vero christiana, si eadem in illo invenimus, et

quidquid aliud veri tenet, absit ut violemus, absit ut, si semel data novimus, iteremus; ne dum vitia humana curamus, divina medicamenta damnemus; aut quaerendo sanare quod vulneratum non est, hominem saucium et ubi sanus est, vulneremus. Proinde, si de aliqua re ad fidem christianam et catholicam pertinente, si denique de ipsa etiam Trinitatis unitate dissentientem haereticum invenio, et tamen evangelica et ecclesiastica regula baptizatum; intellectum hominis corrigo, non Dei violo sacramentum. Loquor de judaeis et schismaticis vel haereticis sub Christi utcumque nomine errantibus.

5. De ipsis gentilibus idolorumquo cultoribus multa utique a nobis diversitate distantibus, nihil aliud nobis demonstrat Apostolus, nisi ut in ipsis quoque ita quidquid pravum est corrigamus, ut quod forte rectum est approbemus. Nam utique idololatras, et quod est gravius, non tantum cultores, sed etiam institutores simulacrorum redarguebat, ubi ait: *Qui cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscruratum est insipiens cor eorum. Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt: et immutaverunt gloriam incorruptibilis*

Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpendium (Rom. 1,21-24). Talia quippe novimus fuisse simulacra aegyptiorum, ubi et instituta esse multiplicior multoque ignominiosior idololatria perhibetur. Numquid tamen cognitionem Dei negavit in illis fuisse, ac non potius confirmavit, dicens: *Cognoscentes Deum, non ut Deum glorificaverunt?* Si ergo istam cognitionem tamquam mendacium repellere et destruere conaretur, quod eam in sacrilegis invenisset; nonne, quod absit, veritatis inimicus exsisteret? Ideoque id quod immutaverunt in mendacium suum [1]); nam et hic dixit: *Immutaverunt gloriam Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis:* talem scilicet fingentes Deum, qualis non est Deus, et non sicut eum cognoverunt tradentes hominibus. Et paulo post de talibus dicit: *Qui immutaverunt veritatem Dei in mendacium, et coluerunt et servierunt creaturae potius quam Creatori, qui est benedictus in se-*

---

[1]) Periodus est abrupta longiori digressione, eamque complet prioribus verbis repetitis infra scribens: „*Quod ergo immutaverunt in mendacium suum, culpat, detestatur, evertit.*“

cula (Rom. 1, 25). Veritas quippe creaturae a Deo est, non Deus, quam illi in mendacium converterunt, tamquam deos colentes solem et lunam et quaecunque coelestia atque terrestria. Quod ergo immutaverunt in mendacium suum, culpat, detestatur, evertit: quod autem verum in doctrina, quamvis multis falsitatibus permixta confusaque, servarunt, approbat, testatur, affirmat. Nam et hinc eundem locum ita coepit, ut diceret: *Revelatur enim ira Dei de coelo super omnem impietatem et injustitiam hominum, eorum qui veritatem in iniquitate detinent* (Ibid. 18); non abnegans veritatem, quamvis in iniquitate detentam.

6. Et in Actibus Apostolorum, cum de Deo uno et vero athenienses doceret, quod in illo vivimus, movemur et sumus (Act. 17, 28), continuo subjunxit: *Sicut quidam secundum vos dixerunt.* Hoc igitur quod in Deo vivimus, movemur et sumus, ex illa veritate est, quam et illi impii simulacrorum cultores in iniquitate detinent, qui cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt. Hanc tamen veritatem, sicut videmus, apud impios et sacrilegos inventam non destruit, sed confirmat Apostolus, ejusque utitur testimonio ad docendos eos, qui ista nesciebant. Hujus

regulae apostolicae sectator episcopus Cyprianus, de uno vero Deo adversus multorum deorum falsorumque cultores disputans [1]), multa profert testimonia de libris eorum, quos praeclaros auctores habent, hoc est, ex illa veritate quam in iniquitate detinent. Multo autem mirabilius est, quod fecit Apostolus (Act. 17, 23), ut eorum fana circumiens, aram quandam inter aras daemonum inventam, in qua scriptum esset: Ignoto Deo; neque hoc negando et refellendo destruxerit, sed potius confirmando hinc etiam repererit opportunissimum suae disputationis exordium, dicens: *Quem vos ignorantes colitis, hunc ego annuncio vobis.*

7. Hanc itaque et nos per majores nostros traditam nobis sequentes apostolicam regulam, si quid recti etiam in perversis invenerimus, eorum perversitate correcta, illud quod rectum est minime violamus: ut in uno homine, ex iis quae vera tenet etiam falsa emendentur, non ex falsis convictis etiam vera destruantur. Temporibus apostolorum qui dicebant: *Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo*, *ego autem Cephae* (1. Cor. 1, 12): quamvis non per impiorum, sed

---

[1]) Lib. *de Vanitate idolorum.*

sanctorum nomina, ipsi tamen impia schismata faciebant; hoc ipsorum erat proprium detestabile vitium. Quod vero sciebant Christum pro se esse crucifixum, et se in ejus nomine baptizatos, non erroris eorum, sed divini apud eos muneris erat. Hanc Dei veritatem in iniquitate suorum schismatum detinebant. Hanc apprehendens beatissimus Paulus, non per illa vitia destructa etiam istam destruit, sed per hanc confirmatam illa emendanda convincit. *Numquid Paulus pro vobis*, inquit, *crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis* (Ibid. 13)? Ut per verum Dei, quod tenebant, de suo falso erubescerent, quod agebant. Sicut ergo dicitur judaeo: Tene fidem resurrectionis mortuorum, sicut tenebas; sed crede jam Christum resurrexisse a mortuis, quod non credebas: veritatem quippe Dei de mortuis resurrecturis in tua iniquitate detines, quia Christum resurrexisse non credis. Sicut idolorum cultori dicitur: Tene ab uno vero Deo mundum conditum esse, quod tenebas; sed noli credere deos esse ligna et lapides, et ipsius mundi quaslibet particulas, quas colebas: Dei enim veritatem, qua credis ab ipso mundum conditum, in tua detines iniquitate, qua deorum cultor vis esse falsorum. Sic

etiam haeretico dicitur, qui sacramenta christiana, sicut in Ecclesia catholica traduntur, nulla sua falsitate mutavit: Tene christianum baptismum in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, sicut tenebas; sed agnosce Christi Ecclesiam toto, sicut prophetatum est, orbe crescentem, cui sacrilega voce maledicebas: Dei enim veritatem de unitate baptismatis in iniquitate detines tuae divisionis. Corrige iniquitatem haeretici figmenti, ne perdat te; et noli superbire de veritate christiani sacramenti, quae ibi est ut judicet te. Ego autem absit, ut sic detester iniquitatem tuam, ut Christi abnegem veritatem, quam in te invenio ad damnationem tuam: absit, ut sic te corrigam, ut illud unde te corrigo destruam; nisi forte destruere debeo verum quod invenio in anima haereticorum, cum Apostolus non destruxerit verum, quod invenit in lapide paganorum.

8. Plus est unus Deus, quam unus baptismus, neque enim baptismus Deus est, sed ideo magnum aliquid est, quia sacramentum est Dei: et tamen ipse unus Deus etiam extra Ecclesiam ab ignorantibus colebatur. Sic ergo et unus baptismus etiam extra Ecclesiam ab ignorantibus datur. Qui dicit fieri non potuisse, ut unus Deus et verus ab

ignorantibus extra Ecclesiam coleretur, videat non quid mihi, sed quid ipsi Apostolo valeat respondere dicenti: *Quem vos ignorantes colitis, hunc ego annuncio vobis* (Act. 17, 23). Quamobrem sicut nihil eis proderat ad salutem, qui verum Deum ignorantes, eum tamen colebant; imo et oberat ad perniciem, quod falsos deos simul colentes eidem vero Deo sacrilegam injuriam faciebant: sic nihil prodest haereticis ad salutem, quod extra Ecclesiam verum baptismum per ignorantiam et tradunt et tenent; imo et obest ad damnationem, quod in sacrilega iniquitate erroris humani, etiam divini sacramenti, non per quam mundentur, sed per quam severius judicentur, detinent veritatem. Et sicut Apostolus, quando illos sacrilegos corrigebat, Deum tamen verum, qui extra Ecclesiam ab eis ignorantibus colebatur, agnoscebat potius quam negabat: sic etiam nos quando haereticorum sacrilegae separationis errores corrigimus, baptismum tamen verum, quem per ignorantiam extra Ecclesiam tradunt, utique agnoscere, non negare debemus.

9. *Sed Paulus*, inquiunt, *cum venisset Ephesum, quosdam, qui se dicebant Joannis baptismate baptizatos, baptizari jussit*

in Christo (Act. 19, 1). Quisquis hoc exemplo schismaticos et haereticos baptizandos putat, audeat dicere, si potest, haereticum vel schismaticum Joannem fuisse. Hoc si nefas est dicere, profecto illis hominibus quod deerat datum est, non quod inerat improbatum: sive mentiti fuerint se habere baptismum Joannis, sicut nonnulli arbitrantur; sive quia baptismus Joannis non erat baptismus Christi, sed tamen militans Christo, sicut Legis vetera sacramenta praecursorio quodam et praefiguratorio fungebantur officio. Si post Joannem amicum sponsi baptizandum est, inquiunt, quanto magis post haereticum baptizandum est? Potest alius velut justa similiter indignatione commotus dicere: Si post Joannem baptizatum est, qui vinum penitus non bibebat, quanto post ebriosum [1]) justius baptizandum est?

---

[1]) *Post ebriosum* i. e. ministrum. Donatistae iterum baptizandum esse docebant eum, qui ab haeretico esset baptizatus. Egregie vero illos refellit Augustinus ex eorum praxi, secundum quam eum non iterum baptizabant, qui a donatista ebrioso jam accepisset baptisma. Ideo enim hunc non rebaptizabant, quod ebriosus non suum, sed Christi baptismum conferret. Merito ergo infert s. praesul, nec ab haeretico baptizatum esse rebaptizandum, quod non acceperit baptismum haeretici, sed baptismum Christi

Hoc ergo isti faciant, si possunt: baptizent post ebriosos suos, si post Joannem sobrium apostoli baptizaverunt. Quid hic respondeant, nisi propterea se post istos non baptizare, quia per eos qui baptizati sunt, non eorum, sed Christi baptismum perceperunt? Credant esse ergo propterea post Joannem baptizatum, quia vel nullum illi baptismum habebant, vel Christi baptismum nondum habebant.

10. Hoc quidem etiam ipse sibi, cui respondemus, opposuit oppositumque non solvit. Ait enim: „Dicit forsitan aliquis: Sed hi quos Paulus iterum baptizavit, baptismo Joannis abluti fuerant, non baptismo Jesu Christi, unde rebaptizari dico non oportere, quos constat esse a traditoribus tamen in Christi nomine baptizatos." Hoc sibi cum ipse proposuisset, attende quemadmodum frustra respondere conatus sit. „Huic, inquit, rei Dominus Jesus Christus respondit his verbis: *Qui mecum non colligit, dispergit* (Matth. 12, 30). Et iterum: *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum coelorum. Multi enim dicent mihi in illa*

---

quamvis per haereticum: proinde baptismi valorem independentem esse a ministri fide et probitate.

die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo daemonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc dicam illis: Non novi vos, recedite a me operarii iniquitatis (Ib. 7, 21). Perdidisse igitur falsum opus non dubium est, qui tametsi in nomine Jesu Christi, sacrilegi tamen ausi sunt operari. Velint nolint, proinde traditores sacrilegis sacramentis Christum magis offendunt. Qui si et dicere audeant: *In nomine tuo prophetavimus*; dicet illis ut ceteris: *Recedite a me operarii iniquitatis, non novi vos.* Recte illis hoc dicet, quoniam quidem in indignis non dissimiles causae sunt, baptizare, daemonia pellere, ceterasque mirabiles fecisse virtutes." Vide quam multa dixit, et quod sibi ex adverso proposuit, solvere omnino non potuit: nec solum hoc, sed etiam nos ipsos quae adversus eos dicere deberemus, admonuit. Neque enim tantum nihil eum adjuvant haec evangelica testimonia, sed etiam causae nostrae plurimum suffragantur.

11. De baptismo Joannis agebatur, a quo baptizatos quosdam si baptizavit Apostolus, non utique Joannis baptismum habentibus iterum Joannis baptismum dedit, sed Christi baptismum non habentes baptizari jussit

in Christo: ac per hoc neutrum destruxit, sed utrumque distinxit. Hoc etiam iste, contra quem disserimus, vidit, qui cum sibi velut ex adversarii partibus objecisset: „Quia et hi, quos traditores [1]) vocant, baptismo Christi, non Joannis, baptizant et baptizantur, et ideo post eos baptismum nec rescindi, nec iterari oportere:" huic quaestioni dicit respondisse Christum, cum ait: *Qui mecum non colligit, spargit*: quasi dixerit Christus: In eis, qui mecum non colligunt, etiam quod verum et quod meum inventum fuerit, negetur, exsuffletur, destruatur. Ait etiam quibusdam dicentibus: *Domine, Domine, in nomine tuo prophetavimus et in nomine tuo daemonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus*; eum responsurum: *Non novi vos, recedite a me qui operamini iniquitatem.* Numquid etiam hic dixit: Propter iniquitatem vestram negabo etiam veritatem meam in vestra iniquitate detentam? Neque enim in regnum suum recepturus est omnes,

---

[1]) *Traditores.* Donatistae per summam injuriam catholicos vocabant traditores, quod aliqui eorum tempore persecutionis tradidissent gentilibus s. Scripturas, vel saltem quod eos, qui tanti criminis essent rei, in sua communione tolerarent. Cf. Optatum l. 1. *de schismate donatistarum* n. 13. *opusc.* t. X.

in quibus invenerit aliquam veritatem: sed in quibus invenerit veritati congruam caritatem: quae si defuerit, iniquitas erit. In qua tamen detenta veritas neganda non est, sed ipsa iniquitas non destructa veritate damnanda est. Unde et Apostolus dicit: *Et si sciero omnia sacramenta et omnem scientiam, et si habuero omnem prophetiam et omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habeam, nihil sum* (1. Cor. 13, 2). Se dixit nihil esse, si caritatem non habeat, non sacramenta et scientiam et prophetiam et fidem. Illa enim magna sunt, etiam si ille nihil sit, qui ea sine caritate habuerit, et eorum veritatem in sua iniquitate detinuerit. Hoc et nos istis haereticis dicimus: Non destruimus veritatem baptismatis, quam in vestra iniquitate detinetis; sed cum vos corrigimus, illam destruimus et evertimus, hanc autem agnoscimus et tenemus. Nihil itaque istum adjuvant plura evangelica testimonia.

12. Quemadmodum autem nobis etiam plurimum suffragentur, adverte. Ecce ipsa verba ejus attende: „Perdidisse, inquit, falsum opus non dubium est, qui tametsi in nomine Jesu Christi, sacrilegi tamen ausi sunt operari.“ Hoc omnino verum est, quo-

niam qui sacrilegi in nomine Jesu Christi ausi sunt operari, falsum opus proprium perdiderunt. Numquid ideo tamen nomen ipsum Jesu Christi sacrilegum est, etiam cum per illum sacrilegi aliquid operantur? Quis hoc audeat vel dementissimus dicere? quis jam isto tempore vel paganus audeat affirmare? Unde et ipse Jesus Christus cum verissime dixerit: *Qui mecum non colligit, spargit* (Matth. 12, 30); tamen cum ei discipuli dixissent quendam se invenisse, qui in nomine ejus daemonia ejiceret, et prohibuisse, quia cum eis Dominum non sequebatur, ad hoc respondit: *Nolite prohibere; nemo enim virtutes facit in nomine meo, et potest male loqui de me* (Marc. 9, 38). In hoc utique propria iniquitas erat, quia non cum Domino colligebat, nec in ejus gregis unitate pastorum cum discipulis sequebatur: in qua iniquitate sua veritatem detinebat alienam, quod in nomine Jesu Christi ejiciebat daemonia, et de illo male non loquebatur. Hujus itaque iniquitatem illis verbis Dominus damnat, ubi ait: *Qui mecum non colligit, spargit*; veritatem suam tamen in illo non negat, nec improbat, cum dicit: *Nolite prohibere; nemo enim virtutes facit in nomine meo, et potest male loqui de me.*

Hoc dominicum exemplum sequentes etiam nos pro viribus nostris, baptismi veritatem, et quidquid aliud verum haeretici tenent, negare non possumus, improbare ac destruere non audemus: ipsorum autem iniquitatem, qua cum Christo non colligunt, sed spargunt, merito detestamur, et inviolata quae in eis est veritate damnamus, vel quantum sinimur emendamus.

13. Respiciat ergo iste quo errore dixerit, quod secutus adjunxit: *Velint nolint, proinde traditores sacrilegis sacramentis Christum magis offendunt.* Alia est quippe temeritas et utcumque tolerabilis, quod traditores dicit homines, quos esse non probat: illud autem quis ferat, quod sacrilega dicit sacramenta Christi, etiamsi vere, sicut calumniatur, a traditoribus haberentur, quae in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti ritu evangelico celebrantur? Hic fortasse dicat, jam non esse Christi sacramentum, quod a sacrilegis datur. Cur non ergo dicit non esse etiam nomen Christi, quod a sacrilegis dicitur? Quod omnino non ausus est dicere. Ait enim: „Perdidisse igitur falsum opus non dubium est, qui tametsi in nomine Jesu Christi, sacrilegi tamen ausi sunt operari.“ Tametsi, inquit, in nomine Jesu Christi:

numquid dixit non esse nomen Jesu Christi? Sicut ergo nihil prodest sacrilegis, quod operantur in nomine Jesu Christi; sic nihil prodest haereticis, quod baptizant vel baptizantur in baptismo Jesu Christi: sed tamen sicut illud nomen est Jesu Christi, ita et iste baptismus Jesu Christi. Et utrumque agnoscendum et approbandum, non negandum et destruendum est; ne tantis donis Dei fiat injuria, cum sacrilegorum eisdem donis male utentium corrigitur vita.

14. Ille dicit sacrilegis dicturum Dominum *Recedite a me omnes, qui operamini iniquitatem* (Matth. 7, 23), qui extra Ecclesiam baptizant, vel daemonia ejiciunt, vel aliquas virtutes in nomine Jesu Christi operantur: nos autem dicimus, imo ipsa Veritas dicit, omnibus hoc Deum esse dicturum, qui intra ipsa unitatis retia mali pisces cum bonis usque ad litus natant. Quid enim eis aliud dicetur, cum in vasa collectis bonis, illi mali separati projicientur, nisi: *Recedite a me, qui operamini iniquitatem?* Nec tamen in eis Christi sacramenta destruimus, cum vel tales baptizantes, vel tales baptizatos intra eadem unitatis retia agnoscimus. Ipsos quoque non arbitror tam esse impudentes, ut audeant dicere, tam multis malis et scelera-

tis, qui in eorum parte sunt manifestis flagitiis et facinoribus perditi et inquinati, hoc est, avaris atque raptoribus, sive truculentis foeneratoribus, sive cruentis circumcellionibus [1]), Dominum non esse dicturum: *Recedite a me, qui operamini iniquitatem*, et tamen sciunt, vident, tenent, multos tales baptizare, multos a talibus baptizari; nec in eis Christi violant sacramentum, etiam illi quibus displicent scelera eorum. Non solum itaque nihil contra nos dixit, cum haec evangelica testimonia protulit; verum etiam nos quid contra eos diceremus, admonuit.

15. Proinde quod sequitur et exsultans dicit: „Solvi breviter quaestionem," vere solvit eam, sed pro nobis; quandoquidem dicendo: „In indignis non esse dissimiles causas, baptizare, daemonia pellere ceterasque non dissimiles fecisse virtutes, quibus dicentibus: *In nomine tuo ista fecimus*, dicturus est: *Non novi vos, recedite a me operarii iniquitatis* (Matth. 7, 22)": manifestavit tam verum esse quod baptizant baptismo Jesu Christi, etiam qui separati sunt ab Ecclesia, quam verum est, quod daemonia pellunt in

---

[1]) *Circumcellionibus*. De his cf. *opusc.* X, 141. annot.

nomine Jesu Christi: sed eos utrumque nec ad vitam aeternam perducere, nec ab aeternis suppliciis vindicare. Ac per hoc quemadmodum si veniret ad Ecclesiam quisquam eorum, a quibus expulit daemonia ille, quem viderunt discipuli separatum a grege Jesu Christi pellere daemonia in nomine Jesu Christi, nequaquam virtus, quae in illo facta fuerat, negaretur, sed ei quod deerat adderetur: ita quisquis extra Ecclesiam fuerit ab haereticis vel schismaticis, tamen Christi baptismate consecratus, cum ad Ecclesiam venerit, non est negandum sacramentum veritatis, quo imbutus est; sed adjicienda pietas unitatis, a qua separatus est, et sine qua illud inesse illi posset, prodesse non posset. Hoc facimus, hoc a majoribus traditum accepimus, hoc in catholica Ecclesia, quae toto orbe diffunditur, contra omnes falsitatis nebulas custodimus. Quid ergo hinc a nobis amplius disputandum est, quando ipse breviter solvit quaestionem, commemorando evangelica testimonia, quibus profecto, si contentiosus esse nollet, et suum damnaret errorem, et baptismi cognosceret veritatem?

16. Quid itaque opus est omnia ejus verba retexere, quibus argute sibi videtur dicere, et multa loquacitate versare, ideo apud se esse

verum baptismum, quia et a nobis agnoscitur, non negatur? Nam quisquis firmum et inconcussum tenuerit, quod verissima et inviolabilis regula veritatis ostendit, id in unoquoque improbandum vel emendandum, quod falsum atque vitiosum est, agnoscendum autem et acceptandum, quod verum atque rectum est; simul vidit, et quid in donatistarum haeresi detestemur, et quid violare minime debeamus. Cum enim in suae separationis iniquitate detinent baptismi veritatem, iniquitas eorum a nobis culpatur, veritas autem baptismi ubique agnoscitur et probatur.

17. Qui enim dicit destruendum esse baptismum Christi, quando illo haeretici baptizant; consequens est, ut dicat, negaudum esse etiam ipsum Christum, quando eum daemones confitentur. Hinc laudatus est Petrus, quando dixit: *Tu es Christus Filius Dei vivi* (Matth. 16, 17): expulsi daemones, hoc ipsum dicentes: *Scimus qui sis, Filius Dei* (Marc. 1, 24). Ergo ista confessio Petro fructuosa, daemonibus perniciosa, in utrisque tamen non falsa, sed vera; non neganda, sed agnoscenda; non detestanda, sed approbanda est. Sic et baptismi veritas datur a rectis catholicis, tamquam a Petro illa con-

fessio; datur a perversis haereticis, tamquam a daemonibus eadem ipsa confessio: illos adjuvat, hos condemnat; in utrisque tamen agnoscendo approbanda, in neutris negando violanda. Unde et apostolus Jacobus cum quosdam redargueret, qui sufficere dicebant homini solam fidem, nec ei caritatis opera conjungebant, eos ex ista daemonum comparatione convicit, ne ideo se ad Deum pertinere existimarent, quod verum de Deo crederent, etiamsi bona opera adjungere fidei non curarent. *Tu credis*, inquit, *quoniam unus est Deus: bene facis; et daemones credunt, et contremiscunt* (Jac. 2, 19). Eos igitur qui de Deo verum credunt, et male vivunt, daemonibus comparavit: non tamen illud ipsum verum, quod de Deo daemones credunt, propter odium daemonum negando destruxit. Quamobrem cum iste ipse, contra quem disputamus, proposuerit Apostolum dicere: *Unus Deus, una fides, unum baptisma* (Ephes. 4, 5): ecce invenimus eundem Deum extra Ecclesiam ab ignorantibus coli; ecce invenimus eandem de uno Deo fidem extra Ecclesiam non solum quosdam homines, verumetiam daemones confiteri; sed utraque ab apostolis confirmata est potius, quam negata: cur non similiter unum bap-

tisma in quibus extra Ecclesiam constitutis invenerimus, confirmamus potius, quam negamus, ut non ex eo quod in illis pravum est, etiam quod rectum est depravemus; sed ex eo quod rectum tenent, etiam illud, in quo depravati sunt, corrigamus?

18. Quid est ergo quod dicit: „Illic esse verum baptisma, ubi est vera fides?" Prorsus fieri potest, ut aliqui verum habeant baptismum, et non habeant veram fidem; sicut fieri potest, ut habeant verum Evangelium, quod non recte intelligendo, falsi aliquid credant de Deo. Numquid propter ipsam fidei falsitatem etiam Evangelium, quod verum apud eos invenitur, detestandum aut emendandum putabimus? Nec illos Corinthios arbitror, quos in schismate dissiluisse redarguit, veram fidem habuisse, in eo quod dicebant: *Ego sum Pauli* (1. Cor. 1, 12), hoc etenim falsum erat. Verumtamen baptismum habebant, ex cujus veritate ut istam corrigerent falsitatem, ab eo ipso audiunt: *Numquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis?* Erant illic etiam, qui mortuos resurgere non credebant, et in eo utique non veram tenebant atque habebant fidem; ex eo tamen quod verum habebant, quoniam credebant Christum

resurrexisse, in quo fuerant baptizati, dat operam Apostolus etiam illud curare, in quo eis fides sana non erat, dicens: *Si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit* (Id. 15, 16), ut quoniam Christum resurrexisse crediderant, et hoc in eis sanum erat; illud etiam sanaretur, quod resurgere mortuos errore perniciosissimo non credebant. Quamobrem, cum in Scripturis sanctis canonicis nec illi inveniant haereticos ad Ecclesiam catholicam venientes denuo baptizatos, nec nos inveniamus in eodem baptismo, quem in haeresi acceperant, fuisse susceptos: in hac re duntaxat par nobis causa est, quia nec illi quod faciunt, ut haereticos, vel quos haereticos putant, denuo baptizent, nec nos quod facimus, ut etiam apud haereticos datum suscipiamus baptismum Christi, ullo temporum apostolicorum expresse confirmatur exemplo. Sed nos reperientes apostolos in quibuslibet errantibus vel qualibet impietate sacrilegis, si quid veri cognoverunt, confirmasse potius, quam negasse; hominum autem errorem et impietatem, salvo quod in eis verum inventum est, emendasse sive damnasse; hanc regulam etiam in baptismi veritate sectamur, ut apud quos eam invenerimus ita retentam atque servatam, sicut in

Ecclesia catholica retinetur atque servatur, non eam negemus, neque destruamus; sed ea manente quod vitiosum, quod pravum, quod falsum in unoquoque fuerit, curemus, corrigamus, emendemus; aut si non possumus, detestatum damnatumque vitemus.

19. Proinde, cum eos suscipimus, non suscipimus iniquitatem eorum, qua se ab Ecclesia Christi diremptione sacrilega diviserunt; qua orbem christianum, cui Deus per Legem, per prophetas, per Evangelium, per psalmos, per apostolos tam multa testimonia perhibet, calumniosis et maledicis criminationibus insectantur [1]) nec eum ipsorum errorem suscipimus, quo baptismum Christi etiam apud haereticos regula ecclesiastica custoditum nolunt agnoscere, audent destruere, non du-

---

[1]) *Insectantur.* Donatistae non cessabant Caecilianum, qui legitime in episcopum carthaginensem ordinatus fuerat, una cum suis ordinatoribus traditionis (cf. supra annot.) crimine per calumniam (neque enim id unquam probare poterant) insimulare, et quia episcopi catholici ubique terrarum cum eo, utpote qui legitime ordinatus fuerit, communione jungebantur, summa temeritate et haeretica praesumptione contendebant, universam Ecclesiam catholicam propter hanc cum Caecilano communionem defecisse ac periisse, veramque Ecclesiam nonnisi penes ipsos remansisse.

bitant iterare; quin etiam, si quos, non solum laicos, sed et clericos, nec quoslibet clericos, verum et presbyteros et episcopos, etsi in illis ecclesiis baptizati sunt, quas apostoli labore proprio fundaverunt, si aliquo modo seductos ad se transferre potuerint, catechumenos faciunt. Haec eorum detestabilia mala nequaquam suscipimus: quandoquidem, nisi eis correctis, ad nos transire non possunt.

20. Nec illud sine distinctione praeterimus, ut humiliorem agant poenitentiam, qui jam fideles Ecclesiam catholicam deseruerunt, quam qui in illa nondum fuerunt. Nec ad clericatum admittuntur, sive ab haereticis rebaptizati sint, sive prius suscepti ad illos redierint, sive apud illos clerici sive laici fuerint. Et qui haec nostrorum negligenter agunt, et eos forte clericos in Catholica faciunt, vel esse permittunt: quamvis a diligentioribus fraterno jure culpentur; tamen nec ipsi eis clericatum deferendum putant, nisi quos ab illis malis vel noverunt emendatos esse, vel credunt. Ac per hoc frustra calumniantur [1]) Ecclesiae catholicae,

---

[1]) *Frustra calumniantur Ecclesiae* ac si approbaret errores donatistarum, dum eos, quos ipsi baptizaverant, ad ejus sinum redeuntes non iterum baptizat.

quicunque ab ejus unitate nefario scelere separantur. Ut enim verbis Apostoli magis utar: *Revelatur ira Dei de coelo super omnem impietatem et injustitiam hominum, qui veritatem in iniquitate detinent* (Rom. 1, 18). Haec ira, si non se correxerint, etiam istos invenient, qui veritatem christiani baptismatis in iniquitate detinent suae sacrilegae separationis.

21. Ecclesia vero catholica, quae, sicut de illa praedictum est, per omnes gentes copiosa foecunditate diffunditur, nullius sic emendat iniquitatem, ut in eo non ipsius, sed sui Domini destruat veritatem. Quid ergo iste quasi licenter ac fidenter exclamat? Baptizavi securus, quem tu sacrilegus inquinasti: baptizavi, inquam, feci quod fecit Paulus apostolus. Legat ubi hoc fecerit apostolus Paulus. Quod si de illis apud Ephesum vult intelligi, audeat ergo dicere, quod eos Joannes sacrilegus inquinaverit. Quod si non audet dicere, quoniam apertissimum nefas est, desinat tandem de re multum dissimili falsae similitudinis nebulas excitare.

22. Nam illud, quod adjungit de episcopo carthaginensi Agrippino, de inclito martyre Cypriano, de septuaginta praecessoribus Cy-

priani[1]; quia hoc fecerunt et fieri praeceperunt: o quam detestandus est error hominum, qui clarorum virorum quaedam non recte facta laudabiliter se imitari putant, a quorum virtutibus alieni sunt. Sic enim et nonnulli Petro apostolo comparari se volunt, si Christum negaverint: si vero etiam gentes judaizare coëgerint, vocitari germani ejus affectant. Haec in illo tanto viro reprehensibilia fuerunt: sed tanta eminuit apostolica gratia, ut continuo delerentur; nec ei, non dico praeferri, sed saltem possit aequari, aut de proximo comparari, quisquis nostrorum temporum christianus, aut etiam episcopus nec Christum negaverit, nec gentes judaïzare compulerit. Sic et in martyre gloriosissimo Cypriano: si apud haereticos vel schismaticos datum Christi baptismum nolebat agnoscere, dum eos nimium detestaretur, quos a catholica unitate, quam multum dilexit, separatos dolebat; tanta ejus merita usque ad triumphum martyrii consecuta sunt, ut et caritatis qua excellebat, luce illa obrumbatio fugaretur, et ut sarmentum fructuosum fieret

---

[1]) Loquitur de concilio episcoporum Africae et Numidiae sub Agrippino (qui floruit ineunte sec. III.) cujus meminit saepe Cyprianus in *Epist. ad Quintum*, ad *Jubaianum*, ad *Januarium*.

fructuosius, si quid habebat purgandum, si nulla re alia, certe passionis falce ultima tolleretur. Nec nos quia baptismi veritatem etiam in haereticorum iniquitate agnoscimus potius quam negamus, ideo meliores Cypriano sumus: sicut nec Petro, quia gentes judaïzare non cogimus. Hoc de Agrippino alisque episcopis, qui illa concilia fecisse perhibentur, responderim, qui sic diversa senserunt, ut cum eis, contra quos de hac quaestione sentiebant, in unitate persisterent, ubi caritas cooperit multitudinem peccatorum. Sic namque ambulantibus in Ecclesiae veritate, in quam pervenerant, potuit Deus, sicut Apostolus dicit (Philip. 3, 15), id illis revelare quod aliter sapiebant. Nova enim tunc quaestio fuit, quemadmodum suscipiendi essent haeretici, quae nonnullos fratres haereticam perniciem vehementer merito detestantes, ipsa novitate turbavit, ut crederent hoc etiam in eis esse improbandum, quod malo suo tenebant bonum. Ego autem ut quod de hac re sentio breviter dicam, rebaptizare haereticos, quod illi fecisse dicuntur, tunc fuit humani erroris; rebaptizare autem catholicos, quod adhuc isti faciunt, semper est diabolicae praesumptionis.

23. Sed volo mihi solvat iste quaestionem:

quandoquidem cum romanae ecclesiae per ordinem commemoraret episcopos, inter eos commemoravit et Stephanum quos episcopatum illibatum gessisse confessus est. Cum ergo Stephanus non solum non rebaptizaret haereticos, verum etiam hoc facientes, vel ut fieret decernentes, excommunicandos esse censeret, sicut aliorum episcoporum et ipsius Cypriani literae ostendunt, tamen cum eo Cyprianus in unitatis pace permansit. Quid hic dicturi sunt? Excutiant ingenia sua quantum possunt, et utrum valeant respondere considerent. Ecce duo erant uno tempore, ut de aliis taceam, qui diversa sentiebant: duo erant eminentissimarum ecclesiarum, romanae scilicet et carthaginiensis, episcopi, Stephanus et Cyprianus, ambo in unitate catholica constituti: quorum Stephanus baptismum Christi in nullo iterandum esse censebat, et sic facientibus graviter succensebat. Cyprianus autem in haeresi vel schismate baptizatos, tamquam non habentes baptismum Christi, baptizandos in Ecclesia catholica existimabat. Multi cum illo, quidam cum isto etiam sentiebant, utrique cum eis in unitate consistentes. Si ergo verum est quod isti dicunt, et unde causam suae separationis asserere vel excusare co-

nantur, in una commissione sacramentorum mali maculant bonos, et ideo corporali disjunctione a malorum contagione recedendum est, ne omnes pariter pereant: jam tunc Stephani et Cypriani temporibus periisse Ecclesiam confitendum est, nec aliquam posteris derelictam, ubi Donatus ipse spiritaliter nasceretur. Quod si dicere nefarium judicant, quia revera nefarium est; sicut mansit Ecclesia ex illis temporibus usque ad tempora Caeciliani et Majorini sive Donati, nec eam maculando perdere potuerunt quicumque in eam secundum ipsos sine baptismo admissi sunt, pleni omnibus peccatis et criminibus suis, nec ulla facta est a Cypriano et eis, qui pariter de baptismo sapiebant, ab illorum communione divisio; quoniam non se arbitrabantur in unitate et communione sacramentorum Christi alienis malis posse maculari: sic potuit et deinceps Ecclesia permanere, quam toto, sicut de illa praedictum est, terrarum orbe crescentem nullo modo poterant quorumlibet traditorum ac facinorosorum aliena crimina maculare; sicut in una area usque ad tempus ventilationis maculari paleis frumenta non possunt, sicut intra una retia usque ad tempus littoris mali pisces bonos simul natando non perdunt.

24. Nulla igitur ratio fuit, sed maximus furor, quo isti velut malorum communionem caventes, se ab unitate Christi quae toto orbe diffunditur, separarunt. Nisi forte a criminibus crimina mirabili arte discernunt, non de Scripturis, sed de cordibus suis distinctionum regulas proferentes, atque dicentes, in unitate communionis sacramentorum alia crimina aliena sine contaminatione tolerari, traditionis autem crimine omnes, qui cum talibus sacramenta communicaverint, detineri. Sed hinc diutius disputare superfluum est, praesertim quia et hoc rarissime audent dicere, ipsi quoque verecundantes et sentientes vana se loqui, et cum ea dicunt, nullo divino testimonio fulcire nituntur. Magis enim solent in ore habere, quando peccatis aliorum alios criminantur, ad excusandum nefas separationis suae: *Videbas furem, et concurrebas cum eo* (Psal. 59, 18): et *Ne communicaveris peccatis alienis* (1. Tim. 5, 22): et, *Recedite, exite inde, et immundum ne tetigeritis* (Isaï. 52, 2): et, *Qui tetigerit pollutum, pollutus est* (Levit. 22, 5): et, *Modicum fermentum totam massam corrumpit* (I. Cor. 5, 6), et alia hujusmodi, quibus non traditionis crimen ab aliis criminibus aliqua proprietate discernitur, sed

omnis peccati consociatio prohibetur. Quae tamen divina testimonia vel praecepta, si eo modo, quo isti, intelligeret Cyprianus, profecto se ab Stephano separaret, nec cum illo in catholicae unitatis communione persisteret. Ille quippe secundum sententiam, quam de baptismo isti tenendam putant, haereticos sicut opinantur, baptismum non habentes, admittendo in Ecclesiam communicabat peccatis alienis: quia videlicet peccata eorum, qui baptismo vero abluti non erant, in eis utique permanebant. Debuit ergo Cyprianus ab hujus communione discedere, ne cum fure concurreret, ne peccatis communicaret alienis, ne contagione inquinaretur immundi, ne pollutus fieret tangendo pollutum, ne fermento corrumperetur aliorum. Hoc ergo quoniam non fecit, sed cum eis in unitate permansit, tota ipsius unitatis tunc massa corrupta est, nec perseveravit Ecclesia, quae postea sanctos istorum Majorinum pareret ac Donatum. Hoc quia dicere nullo modo audent; restat ut fateantur bonos cum malis in sacramentorum christianorum communione sine ulla sua labe mansisse, et usque ad tempus Caeciliani perseverasse Ecclesiam Christi, non sine ullis hominibus malis, tamquam in horreo jam reconditam,

sed adhuc commixta palea tamquam in area constitutam. Sic ergo et deinceps potuit permanere, sicut et permanet, donec ultimo judicii die ventilata mundetur.

25. Quid igitur sibi vult tantus furor separationis istorum ab unitate corporis Christi, quae, sicut prophetatum legitur implerique jam cernitur, toto orbe terrarum atque in omnibus gentibus dilatatur? Hic certe, sicut scriptum est: *Filius malus ipse se justum dicit, exitum autem suum non abluit* (Prov. 24, post v. 22. juxta 70): hoc est, non excusat, non diluit, non defendit quod furore schismatico in haereticam pestem de domo Dei exire non timuit: quia si vere justus esset, sicut apostolus Paulus cum fratribus falsis, de quibus in suis epistolis ingemit, et sicut Cyprianus cum eis, quos sine baptismo suis peccatis praeteritis plenos aestimabat, et admitti ad Ecclesiam ab Stephano sciebat; ita in Ecclesia Christi cum eis quos injustos vel noverat vel putabat sine ulla sui commaculatione persisteret, nec bonos propter malos desereret, sed malos propter bonos potius toleraret, tamquam granum cum palea pondere caritatis trituram ferens, non tamquam levissimus pulvis ante ventilationem flatibus cedens. Eo quippe modo etiam cum

iniquis, quos necesse est usque ad litus retia ista contineant in unitate catholica, perseverans, non tamen cum fure concurreret, nec peccatis communicaret alienis, nec cujusquam immunditiae contrectatione macularetur, nec pollueretur tangendo pollutum, nec cujusquam fermento corrumperetur. Haec enim fiunt consensione peccatorum, qua per feminam serpens hominem primum etiam in paradisi felicitate decepit; non communione sacramentorum, in qua condiscipulos Judas mundos immundus contaminare non potuit. A malis autem, cum quibus sacramenta Dei communicant, etiam nunc in area, nondum in horreo, jam tamen boni discedunt et separantur morum dissimilitudine, non corporum segregatione, aliter vivendo, non ad alia conventicula veniendo: sic nec cum malis unum fiunt, nec ab Ecclesiae unitate discedunt.

26. Quid ergo nobis nescio quorum traditorum crimen exaggerant, quos tamen nec ipsos unquam convincere potuerunt? Sed si eos contra istorum calumnias defendamus, quorundam hominum causam videbimur agere, non Ecclesiae. Prorsus quicunque et ubicunque traditores fuerunt, et non tantum traditorum peccatum, sed ipso-

rum etiam, qui tradere compellebant, et omnium omnino facinorosorum, flagitiosorum, sacrilegorum admittebat Stephanus in Ecclesiam secundum istos: quia si baptismum non habebant, omnia peccata quaecunque gravia et horrenda commiserant, in eis erant, et reos illos sine ulla remissione retinebant. Tales admittebat Stephanus, cum talibus erat in unitate catholica Cyprianus; nec tamen periit, sed perseveravit Ecclesia. Non igitur quemquam in ejus unitate maculant aliena peccata. *Frustra filius malus a familia patris exire properavit, frustra se justum dicit, exitum autem suum non abluit* (Prov. 24. juxta 70). An forte dicturi sunt, eos quos Stephanus admittebat, ipsius unitatis participatione mundatos, quoniam caritas cooperit multitudinem peccatorum (1. Petr. 4, 8)? Utinam dicant! hoc enim et nos dicimus, quando eos ad unitatem vel urgemus ut redeant, vel monemus. Hoc autem pacto jam etiam nulla inter nos baptismi quaestio remanebit. Si enim apud haereticos baptizati, cum ad Ecclesiam veniunt, unitatis ipsius caritate mundantur, profecto sine causa rebaptizantur.

27. Vides itaque in hoc sermone, cui me respondere voluisti, quam multa dixerit ille

pro nobis. Quid ergo jam opus est, ut episcoporum romanae ecclesiae, quos incredibilibus calumniis insectatus est, objecta ab eo crimina diluamus? Marcellinus et presbyteri ejus, Melchiades, Marcellus et Sylvester, traditionis codicum divinorum et thurificationis ab eo crimine arguuntur: sed numquid ideo etiam convincuntur, aut convicti aliqua documentorum firmitate monstrantur? Ipse sceleratos et sacrilegos fuisse dicit, ego innocentes fuisse respondeo. Quid laborem probare defensionem meam, cum ille nec tenuiter probare conatus sit accusationem suam? Si est ulla humanitas in rebus humanis, puto nos justius posse reprehendi, si ignotos homines, quos criminantur inimici, nec eorum crimen ulla testificatione demonstrant, nocentes potius quam innocentes crediderimus. Quia si forte se aliter veritas habet, ipsi certe humanitati debitum redditur, cum homo de homine nihil mali temere suspicatur, nec cuiquam criminanti facile credit, quando sine teste ac sine ullo documento crimen objiciens, maledicus potius conviciator, quam veridicus accusator extiterit.

28. Huc accedit, quia Melchiade tunc episcopo romanae ecclesiae praesidente, ex

praecepto Constantini imperatoris, ad quem totam illam causam accusatores episcopi carthaginensis ecclesiae caeciliani per Anulinum proconsulem detulerunt, idem Caecilianus innocens pronunciatus est [1]. De quo judicio cum majores istorum importunissima pervicacia memorato imperatori quererentur, quod non plene nec recte fuerit examinatum atque depromptum, nihil de Melchiadis traditione vel thurificatione dixerunt. Ad cujus audientiam nec venire utique debuerunt, hoc potius ante suggerentes imperatori, aut ut suggereretur instantes, quod apud traditorem codicum divinorum et idolorum sacrificiis inquinatum causam suam agere non deberent. Cum hoc ergo nec ante suggesserint, nec postea quam contra eos pro Caeciliano judicatum est, saltem victi et irati objiciendum putarint, quid nunc inanes tam sero connectunt calumnias, quasi et innocentia Caeciliani Melchiadis judicis decoloratione fuscetur, et ipsa romana ecclesia, ubi nec damnare quemquam suo qualicunque judicio potuerunt, nec aliquem suorum velut in locum

---

[1]) Cf. horum gestorum narrationem apud Optatum *de schismate donatistarum* l. 1. n. 22. ss. *opusc.* X, 61. ss.

subrogare damnati [1]), contra quam paucissimis afris partis suae primo interventores [2]) adventitios furtim longeque mittebant, quos istum nominatim commemorare non puduit, donec deceptae plebeculae quasi proprios episcopos ordinarent? Nempe episcopum abtungensem Felicem post Caeciliani purgationem apud Imperatorem accusaverunt [3]),

---

[1]) *Damnati* ab ipsis Melchiadis. Respicit dein audax et temerarium donatistarum facinus, quo Romae constituerunt pro paucis factionis suae asseclis vicarios, postea etiam episcopum, ac si sedes romana vacaret, quod Melchiades servaret communionem cum Caeciliano, quem falso traditionis crimine insimulaverant, servatam. Cf. Optatus l. 2. n. 4. *opusc.* X, 77. ss.

[2]) Interventores sive intercessores dicebantur, qui ecclesiam administrabant sede vacante.

[3]) Ad h. l. haec advertit s. doctor *retract.* l. 2. c. 34.: „Illud quod dixi, Constantinum imperatorem donatistis criminantibus ordinatorem Caeciliani, Felicem aptungensem, non negasse accusationis locum, quamvis eos in Caecilianum fictis criminibus calumniosos fuisset expertus; in ordine temporum postea consideratum aliter inventum est. Nam prius memoratus imperator causam Felicis fecit audiri a proconsule, ubi legitur absolutus; et postea ipse Caecilianum cum accusatoribus ejus auditum comperit innocentem, ubi eos expertus est in ejus criminibus calumniosis: qui ordo temporum per consules declaratus, multo vehementius in ea causa calumnias donatista-

quod ipse esset manifestissimus traditor, et ideo Caecilianus episcopus esse non posset, quod ab illo traditore fuerit ordinatus. Tunc Constantinus nec huic eorum accusationi negavit locum, quamvis eos in Caeciliani fictis criminibus calumniosos fuisset expertus; et ideo praecepit, ut causa Felicis discuteretur. In Africa discussa est a proconsule Aeliano. Felix quoque innocens declaratus est. Exstant gesta proconsularia: qui voluerit, sumat et legat. Hoc autem non solum ad innocentiae Caeciliani demonstrandae cumulum pertinet ipsiusque Felicis evidentissimam purgationem, atque illorum calumnias declarandas, qui eum fontem omnium malorum in concilio suo dixerant; verum etiam ad cogitandam Melchiadis ab eorum criminationibus purissimam vitam. Nisi forte quisquam tam sit insipiens, ut credat eos, cum Felici non pepercerint, a quo Caecilianus fuerat ordinatus, Melchiadi parcere potuisse, a quo fuerat absolutus, si illius episcopi vitam, quamvis nullum vulnus conscientiae peremisset, saltem qualiscunque fama culpasset. An vero

---

rum convincit penitusque subvertit, quod alibi ostendimus" scil. in *libro post collat.* c. 33. Cf. etiam Optatus l. 1. n. 27. s.

quod de foro abtungensium fictum fuerat, ab istis accusaretur; et quod in capitolio romanorum factum fuerat taceretur?

29. De Mensurio [1]) autem quid respondeam, cum ejus tempore usque ad obitus diem plebs unitatis nulla conscissa est; ipsaeque literae Secundi tigisitani, quibus reprehensus asseritur, eos ad se invicem pacifice scripsisse confirmant atque in collegii societate mansisse? Jam vero quod etiam de cirtensi ecclesia dicere voluit, et episcopos ibi catholicos maledictis insectatus est quibus voluit; quid aliud egit, nisi ut vituperando sanctos etiam nostrorum temporum viros nobisque optime cognitos, satis ostenderet, quid etiam de ignotis, quibus similiter maledicit, sentire debeamus? Proinde si Profuturus ante paucissimos annos defunctus, et Fortunatus qui in corpore adhuc est atque illi successit episcopo, quo modo manichaei fuerunt, sic fuerunt et illi traditores, quos longe a nostris temporibus ignotissimos accusare non cessant, etiam illorum nobis pura ab istorum probris vita notissima est.

30. Non sane parva est parumque glo-

---

[1]) Mensurius erat Caeciliani in sede carthaginensi decessor († 311). Cf. de eo Optatus l. 1. n. 17.

riosa consolatio cujuscunque nostrum, si ab inimicis Ecclesiae cum ipsa Ecclesia criminamur: ejus tamen defensio non in eorum hominum defensione consistit, quos isti nominatim falsis criminationibus appetunt. Prorsus qualescunque fuerint Marcellinus, Marcellus, Sylvester, Melchiades [1]), Mensurius, Caecilianus, atque alii quibus objiciunt pro sua dissensione quod volunt, nihil praejudicat Ecclesiae catholicae toto terrarum orbe diffusae: nullo modo eorum innocentia coronamur, nullo modo eorum iniquitate damnamur. Si boni fuerunt, in areae catholicae tritura tanquam grana mundati sunt: si mali fuerunt, in areae catholicae tritura tamquam stipulae comminuti sunt. Intra istam aream boni et mali esse possunt, extra eam boni esse non possunt. Quisquis ab hac unitate vento superbiae tamquam sola palea separatur, areae dominicae propter commixtam paleam quid calumniatur?

31. Nos quoque dicimus, nec tantum dicimus, verum etiam literarum monimentis ecclesiasticis et publicis comprobamus, Secundum tigisitanum, cujus congregato concilio Caecilianum dicunt esse damnatum,

---

[1]) Hi quatuor fuerunt romani episcopi.

confessis traditoribus, ne schisma fieret, pacem dedisse, cum et eidem ipsi a Purpurio limatensi crimen traditionis fuisset objectum. Dicimus Victorem rusiccadiensem, Donatum calamensem, Donatum masculitanum, Marinum ab aquis tibilitanis, Sylvanum cirtensem fuisse traditores, eosdemque quasi traditorum severissimos damnatores. Hoc probamus et ecclesiasticis, et municipalibus, et judicialibus gestis [1]. Sed nec ideo traditores sunt omnes in parte Donati, quia in ea isti fuerunt, nec ideo est innocens pars Donati, si isti innocentes a traditionis iniquitate monstrentur. Melius enim audimus sanctam Scripturam, quam vel cuiquam calumniamur de peccatis alienis, vel cujusquam similem calumniam formidamus. *Anima enim quae peccat, ipsa morietur* (Ezech. 18). Et: *Unusquisque proprium onus portabit* (Galat. 6, 5). Et: *Qui manducat et bibit indigne*, non alteri *sed sibi judicium manducat et bibit.* Et sinuntur utraque crescere usque ad messem, ne cum ante tempus colliguntur zizania, eradicetur simul et triticum (Matth. 13, 29): et commixti optimis pas-

---

[1]) Cf. quae de his refert pluribus Optatus l. 1. n. 18. s.

cuis hoedi agnique pascuntur, donec a pastore, qui errare non potest, segregentur: et ex omni genere piscium retia complentur unitatis, donec ad judicium litoris perducantur. Nisi quod isti sua perversa falsaque sententia sibi praejudicant, qui propter aliena peccata juste se dicunt ab orbis christiani communione separatos: per hanc enim absurdam insanamque opinionem ipsi faciunt, ut eis quorundam suorum peccata omnibus imputentur. Quod si justum arbitrantur, rei sunt omnes cujuslibet apud se in uno homine inventi manifestissimi criminis: si autem hoc, sicut injustum est, injustum esse cognoscunt, rei sunt omnes iniquissimae separationis.

32. Jam vero quoniam in hoc sermone de unico magis baptismo quaestio est, ut unde coepta est nostra disputatio concludatur, sicut in ipsa unitate dominicae areae, nec propter malos deserendi sunt boni: sic in uno homine nec propter illud, quod in eo integrum est, ejus est accipienda perversitas, nec propter illud, quod in eo perversum est, negari debet ejus integritas: quia et in judaeorum iniquitate detinetur veritas resurrectionis mortuorum; et in gentilium iniquitate detinetur veritas unius Dei, qui condi-

dit mundum; et in eorum iniquitate, qui cum Christo quia non colligunt, spargunt, detinetur veritas, qua in ejus nomine pellunt spiritum immundum; et in templorum sacrilegorum iniquitate inventa est veritas, qua confessi sunt Christum. Sic et in haereticorum iniquitate inventa veritas non neganda est, qua detinetur baptismi sacramentum.

SANCTI PACIANI
EPISTOLAE TRES
AD
SYMPRONIANUM NOVATIANUM [1]).

EPISTOLA I.
De Catholico nomine.

Pacianus Semproniano fratri salutem.

1. Si non carnalis intentio, sed, ut ego arbitror, vocatio spiritualis est, domine, quod

---

[1]) Pacianum ex uno Hieronymo inter veteres compertum habemus, qui et paucula de eo memoriae tradidit. Discimus ex eo *de viris illustr.* c. 106. s. Pacianum „Barcilonae in Pyrenaei jugis episcopum castitate et eloquentia floruisse, eumque tam vita quam sermone clarum sub Theodosio principe jam ultima senectute“ vitam cum morte commutasse, ut propterea maxime claruerit b. antistes circa a. Christi 370. Scripsit varia opuscula, ex quibus hodie supersunt: Opus contra novatianos, *tres* scil. *epistolae ad Sympronianum* novatianum scriptae ut videtur post a. 377. 1. de catholico nomine; 2. de Sym-

ex nobis fidem catholicae veritatis examinas: tu potissimum quae vel quam diversa sequereris indicare debueras, qui a rivulo procul in quantum apparet exorsus, fontem atque originem principalis Ecclesiae non tenebas: te, ut quae causa potissimum de unitate corporis nostri solvisset, aperires: nudari enim eas partes oportet quibus medicina deposcitur. Nunc clauso, ut ita dixerim, litterarum sinu, quae membra nobis potissimum curanda sint non videmus [1]. Tantae

---

proniani literis; 3. demum contra tractatus novatianorum; *paraenesis* sive libellus adhortatorius ad poenitentiam; sermo *de baptismo*. In his „praeclare disserit s. Pacianus, inquit Fessler *instit. patrol.* t. 2. §. 254., de Ecclesia catholica ejusque potestate remittendi peccata sacerdotibus commissa, *de tribus sacramentis baptismi, confirmationis et poenitentiae*, de iis, quae ad sacramentum poenitentiae requiruntur, contritione, confessione et satisfactione ac de peccato originali. Ratiocinationes ejus solidae sunt, scribendi ratio jucunda, stilus elegans et incisus; duo isti sermones (paraenesis et sermo de baptismo) exemplaria dici possunt omnibus fere numeris absoluta familiarium ad populum concionum.“ Porro quis fuerit Sympronianus ille, ad quem scribit tres epistolas, eruditos latet. Id unum liquet, novatiana haeresi eum fuisse infectum.

[1]) Significat Pacianus, Sympronianum jam gratia divina excitum sollicitum fuisse de cognoscenda Ecclesiae catholicae fide ideoque literis ipsum convenisse,

enim a capite christiano haereses exstiterunt, ut nominum ipsorum sit volumen immensum. Nam ut judaeorum haereticos praetermittam, Dositheum samaritanum, sadducaeos et pharisaeos: quanti apostolorum temporibus emerserint, dinumerare perlongum est: Simon magus, et Menander, et Nicolaus, et ceteri quos fama recondit obscura. Quid [1]) posterioribus temporibus Ebion, et Apelles, et Marcion, et Valentinus et Cerdon: nec longe post eos, cataphyrges et novatiani, ut examina novella praeteream? Quis ergo mihi primum per literas refutandus est? Ipsa, si voles, nomina omnium charta non apiet: nisi quod scriptis tuis, poenitentiam usquequaque damnantibus, secundum Phrygas te assensisse pronuntias [2]): Verum his ipsis, domine

---

ut ei exponeret doctrinam catholicam. Sed cum Sympronianus non indicaret ea doctrinae capita, de quibus dubitaret seu quae membra potissimum essent curanda, advertit s. antistes, se nescire, quid in primis expositione indigeret.

[1]) *Quid posterioribus temporibus Ebion.* Judice Cotelerio ad *Constit. Apost.* lib. VI. cap. 6, haec Paciani verba benigno interprete egent. Ortus enim ebionaeorum cum Epiphanio et Hieronymo ad tempora Joannis apostoli roferendus videtur.

[2]) *Pronuntias.* Ex scriptis tuis, in quibus poenitentiam i. e. praxim recipiendi eos, qui post bap-

carissime, tam multiplex et diversus est error, ut non hoc unum in illis quod contra poenitentiam sapiunt, sed quasi quaedam capita Lernaea caedenda sint.

2. Et primum hi plurimis nituntur auctoribus: nam puto, et graecus Blastus ipsorum est: Theodotus quoque et Praxeas vestros aliquando docuere: ipsi illi Phryges nobiliores qui se animatos mentiuntur a Leucio, se institutos a Proculo gloriantur: Montanum et Maximillam et Priscillam secuti, quam multiplices controversias excitarunt de Paschali die, de Paracleto, de apostolis, de prophetis [1]) multaque alia, sicut et hoc de *Catholico* nomine, de venia poenitentiae. Quare si omnia ista discutere velimus, docili praesentia opus est: si haec sola quae scribis non

---

tismum in grave crimen lapsi sunt, poenitentiam vero egerunt, damnas, cataphrygas seu montanistas te sequi liquet, qui poenitentibus veniam denegabant. Advertit autem Pacianus, montanistarum (et novatianorum, qui hac in re cum montanistis sentiebant) non unam fuisse sententiam, imo multiplicem circa veniam lapsis poenitentibus denegandam (cf. *opusc.* V, 3. annot.) et circa alia doctrinae capita.

[1]) De plerisque horum haereticorum agitur in haeresum catalogo, quem exhibuimus *opusc.* XI, 126. ss. Cf. n. 52. et 53.

satis instruerem, tamen quia quoquo modo admirantibus serviendum est, informandi tui gratia, summatim ad ea de quibus scribere dignatus es conloquimur. Si quid scire plenius de nostro voles, oportet ut de tuo profiteare simplicius; ne obscurius consulendo, non scire nos facias, utrum interroges an lacessas. Interea quod ad praesentes pertinebit, ante omnia te rogatum volo, ne ob hoc ipsum auctoritatem mutueris errori, quod, sicut ais, per orbem totum nullus intus sit qui te revinceret, aut persuadere tibi posset contra quam crederes. Nam et si nos imperiti, peritissimus Dei Spiritus: et si nos infideles, *fidelis Deus*, *qui negare se non potest* (2. Tim. 2, 13). Tum porro, quod obnitendo, sacerdotibus Dei diu contendere non licebat [1]). *Nos*, inquit Apostolus *talem con-*

[1]) Gloriabatur Sympronianus, neminem hactenus potuisse erroris ipsum convincere; idque argumenti instar sibi erat, quo errori suo conciliaret auctoritatem. Verum merito inferebat Pacianus, id signum potius esse obstinationis, cum Ecclesiae sacerdotes sint audiendi in rebus fidei (*qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* Matth. 18, 17.), non cum eis disputandum, nedum eis obnitendum. Advertit deinde in genesi fidei et persuasionis religiosae (post gratiam) primas partes habere bonam volnntatem, quod nunquam satis in-

suetudinem non habemus, nec Ecclesia Dei (1. Cor. 11, 16). *Post unam correptionem* (Tit. 3, 10), sicut scis ipse, contentiosus omittitur. Persuadere autem quis aliquid possit invito? Tua ergo, frater, non illorum culpa est, si tibi quod erat optimum, nemo persuasit. Nam et hodie in potestate tua est ut nostra etiam scripta contemnas, si ea mavis vincere quam probare. Ceterum et ipsi Domino et apostolis ejus plurimi restiterunt; nec persuaderi veritas cuiquam potuit, nisi ei propria religione consensit. Itaque, domine, et nos non ea fiducia scripsimus, qua repugnanti aliquid persuadere possimus; sed ea fide qua volenti bonae pacis aditum non negemus; quae si animo tuo et cordi est, de *Catholico* nomine nullum habet esse luctamen. Si enim per Deum id populus noster adipiscitur, nec interrogandum est, praecedente auctoritate divina: si per hominem, quando usurpatum, detegendum. Tunc si bonum nomem est, non recipit odium: si malum, caret invidia [1]).

---

culcari potest. Ubi deest bona voluntas, vel evidentia obnubilatur; ubi ea adest, argumenta vel levia ad persuasionem sufficiunt.

[1]) Jam incipit Pacianus disputare de nomine *catholicae*, quod communi conspiratione illi coetui tri-

3. Novatianos audio de Novato aut Novatiano vocari: sectam tamen in his, non nomen accuso: nec Montano aliquis aut Phrygibus [1]) nomen objecit. Sed sub apostolis, inquies, nemo Catholicus vocabatur. Esto, sic fuerit, vel illud indulge. Cum post apostolos haereses exstitissent, diversisque nominibus columbam Dei atque reginam lacerare per partes et scindere niterentur: nonne cognomen suum [2]) plebs apostolica postulabat, quo in-

---

buebatur, qui communione sociabatur cum romano pontifice (cf. *opusc.* VI, 34. ss. annot.). Jam vero adversarium ita urget: hoc nomen vel *per Deum* coetus iste consecutus est, et tunc nulla de eo lis est movenda; vel *per hominem*, auctoritate humana, qua ratione ariani ab Ario nomen suum traxerunt; quod si hoc affirmatur, id non tantum est asserendum, sed quando factum sit detegendum. Iterum, si nomen est bonum, non debet esse ratio odii; si malum, nulla est ratio, quare haeretici illud adeo ambiant sibique imponi exoptent.

[1]) *Phrygibus.* Montanistae dicebantur *phryges* vel *cataphrygae*, quod Montanus in vico quodam nomine Ardaba in Mysia κατὰ τὴν Φρυγίαν contermina Phrygiae exstiterit novae sectae auctor. Cf. Eusebius H. E. l. 5. c. 16.

[2]) *Cognomen suum*, cum omnes, etiam haeretici, dicerentur *christiani*, ut inter ipsos christianos veri fideles distinguerentur ab haereticis, sufficiens non erat nomen *christiani* utpote commune; necessarium erat nomen proprium, *cognomen*. Cf. n. 4.

corrupti populi distingueret unitatem, ne intemeratam Dei virginem error aliquorum per membra laceraret? Nonne appellatione propria decuit caput principale signari? Ego forte ingressus populosam urbem hodie, cum marcionitas, cum apollinariacos, cataphrygas, novatianos et caeteros ejusmodi comperissem, qui se christianos vocarent: quo cognomine congregationem meae plebis agnoscerem, nisi *Catholica* diceretur? Age, quis caeteris plebibus nomina tanta largitus est? Cur tot urbibus, tot nationibus sua quaeque descriptio est? Ipse ille qui catholicum nomen interrogat, causam sui nominis [1]) nesciet, si requiram unde mihi traditum est. Certe non est ab homine mutuatum, quod per secula tanta non cecidit. Catholicum istud nec Marcionem, nec Apellem, nec Montanum sonat, nec haereticos sumit auctores. Multos nos Spiritus sanctus edocuit, quem paracletum apostolis et magistrum Deus misit e coelis; multa ratio, sicut dicit Paulus, et honestas et, ut ait, ipsa natura. Quid? Parva nobis

---

[1]) *Sui nominis*, hujus nominis *catholicae*, de quo disputat. Hoc nomen, advertit infra, non significat hominem aliquem esse auctorem illius coetus, cui tribuitur sicut humana haereticorum origo designatur ipso nomine, quo dicuntur ariani, marcionitae etc.

de apostolicis viris, parva de primis sacerdotibus, parva de beatissimo Cypriano martyre atque doctore currit auctoritatis? An volumus docere doctorem? An sapientiores illo sumus, et spiritu carnis inflamur adversus eum, quem aeterni Dei testem nobilis cruor et clarissimae passionis corona produxit? Quid tot earum partium sacerdotes, quos per totum orbem cum eodem Cypriano pax una solidavit? Quid tot annosi episcopi, tot martyres, tot confessores? Age. Si illi usurpando nomini huic auctores idonei non fuerint, nos idonei erimus negando? Et nostram potius auctoritatem patres sequentur, et emendanda sanctorum cedet antiquitas, et jam putrescentia vitiis tempora canones apostolicae antiquitatis eradent?

4. Nec tamen aestues, frater: *Christianus* mihi nomen est, *Catholicus* vero cognomen. Illud me nuncupat; istud ostendit: hoc probor, inde significor [1]). Et si reddenda post-

---

[1]) *Illud me nuncupat*, est nomen meum; *istud*, cognomen scil. catholici *ostendit*, me esse verum christianum, non nomine tenus, sicut haeretici dicuntur christiani; ostendit vero eo ipso, quod hoc nomen competat verae Ecclesiae et competere tantum possit illi coetui, qui per orbem est diffusus: haec autem diffusio nota est et character regni messiani. *Hoc*,

remo Catholici vocabuli ratio est, et exprimenda de graeca interpretatione Romana: Catholicus, ubique unum, vel, ut doctiores putant, obedientia omnium nuncupatur, mandatorum scilicet Dei. Unde Apostolus: *Si in omnibus obedientes estis* (2. Cor. 2, 9). Et iterum: *Sicut enim per inobedientiam unius peccatores constituti sunt multi: sic per dicto audientiam unius, justi constituentur multi* (Rom. v. 19). Ergo qui Catholicus, idem justi obediens [1]). Qui obediens,

---

cognomine catholici *probor* me esse membrum verae Ecclesiae; *inde* nomine christiani *significor* discipulus Christi: sed hoc nomen non sufficit, ut discernar ab haereticis. Explicatio autem nominis *catholici*, quam mox tradit, minus communis est apud patres, qui libentius affirmant, catholicum derivari a verbo graeco καϑ' ὅλον, quod Ecclesia per totum orbem sit diffusa. Duplicem explicationem proponit Pacianus, ut *catholicum* sit idem ac esse per totum seu ubique scil. unum, vel secundum totum esse expressum atque exactum per perfectam obedientiam omnium mandatorum Dei.

[1]) Haec dicuntur ex more etymologizandi apud priscos usitato. Erat enim eis notatio s. etymologia unus e locis oratoriis, unde dicendi copiam hauriebant, ideoque, quidquid nomen alicujus rei, de qua tractabant posset significare, studiose inquirebant. Atque ita Pacianus duorum vocabulorum, unde nomen καϑολικός conflatum est, multiplicem vim considerans tres notationes sibi visus est invenire; ex qui-

idem est Christianus: ita Catholicus, Christianus est. Quare ab haeretico nomine noster populus hac appellatione dividitur, cum Catholicus nuncupatur: sed et si Catholicus ubique unum est, sicut superiores putant, id ipsum David indicat dicens: *Astitit regina in veste aurata et variegata* (Psal. 44, 10), hoc est, una in omnibus. Et in Cantico canticorum Sponsus haec loquitur: *Una est columba mea, perfecta mea, una est matri suae, electa est genitrici suae* (Cant. 6, 8). Et iterum: *Adducentur regi virgines post eam* (Ps. 44, 15). Et adhuc: *Adolescentulae, quarum non est numerus* (Cant. 6, 7). Ergo in omnibus una, et una super omnia.

---

bus ea, quae primo loco ponitur, rei veritati consentanea est, ut scilicet καθολικὸς sit τὸ καθ'ὅλους (i. e. τόπους) vel τὸ καθ'ὅλην (τὴν οἰκουμένην) sive id quod est ubique; duae vero reliquae notationes „doctiorum" perperam fiunt, ubi καθολικὸς Piaciano haud scio an sit, primo quidem ὁ καθ' ὅλων is qui est sub omnibus subjectusque s. obediens omnibus scil. mandatis (cf. κατὰ γῆς sub terram s. sub terra), tum ὁ καθ' ὅλου (ubi ὅλος sensu morali est integer, vel τὸ ὅλον justum) is qui est sub justo eique subjectus, aut denique ὁ καθ' ὅλον (τὸν νόμον) is qui vivit secundum totam legem, ὁ κατὰ τὸ ὅλον secundum justum s. justitiam.

5. Si rationem nominis [1]) quaeris, apparet· De poenitentia vero, Deus praestet ut nullis fidelibus necessaria sit; nemo post sacri fontis auxilium foveam mortis incurrat: nec tarda solamina ingerere sacerdotes aut docere cogantur, ne peccandi iter aperiant, dum peccanti remediis blandiuntur. Sed nos hanc indulgentiam Dei nostri miseris, non beatis, nec ante peccatum, sed (post) peccata detegimus: nec sanis medicinam, sed male habentibus nuntiamus. Si nihil in baptizatos possunt nequitiae spirituales, nihil fraus illa serpentis quae primum subvertit hominem, quae posteris ejus tot titulos damnationis impressit; si recessit a mundo, si regnare jam coepimus, si nullum oculis, nullum manibus, nullum mentibus nostris crimen obrepit; abjiciatur hoc Dei donum, repellatur auxilium, nulla exomologesis [2]), nulli gemi-

---

[1]) *Rationem nominis* sclil. catholici. Transit jam ad aliud argumentum, utrum scil. lapsis in peccatum grave post baptismum danda sit venia, quam novatiani vel absolute vel saltem graviorum criminum reis denegabant.

[2]) *Exomologesis*, confessio sed cum doloris significatione admodum humili et luctuosa, quam describit Tertullianus de poenit. n. 9. *opusc.* IX, 195. s. et ipse auctor infra in exhortatorio libello *ad poenitentiam* n. 9. ss.

tus audiantur; contemnat omne remedium superba justitia. Quod si haec homini suo Dominus providit; si idem stantibus praemia, qui jacentibus remedia largitus est: desinite divinam accusare pietatem, aut tot coelestis clementiae titulos objectu rigoris eradere, aut gratuita Domini bona inobsecrabili asperitate prohibere. Non largimur ista de nostro. *Convertimini ad me*, dicit Dominus, *simulque jejunio, et fletu, et planctu, scindite corda vesta* (Joel. 2, 12). Et iterum: *Relinquat impius vias suas, et vir facinorosus cogitationes suas, et convertatur ad Dominum, et misericordiam consequetur* (Is. 55, 7). Itemque Propheta in hunc modum clamat: *Quoniam Deus pius, et mitis et patiens est, et qui reflectat sententiam adversus malitias irrogatam* (Joel. 2, 13). Habetne tam diutinum serpens venenum, et Christus non habet medicinam? Diabolus in mundo interficit, Christus hic non potest subvenire? Pigeat sane peccare, sed poenitere non pigeat. Pudeat periclitari, sed non pudeat liberari. Quis naufrago tabulam, ne evadat, eripiet? Quis sanandis vulneribus invidebit? An non David dicit: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis stratum meum rigabo*

(Ps. 6, 7). Et iterum: *Peccatum meum ego agnosco, et facinus meum non texi* (Ps. 31, 5). Et adhuc: *Dixi: prosequar adversum me delictum meum Deo meo, et tu remisisti impietatem cordis* (Ibid.). Nonne illi post caedis et adulterii reatum pro Bethsabee poenitenti propheta respondit: *Dominus abstulit a te peccatum tuum* (2. Reg. 12, 13)? Num babylonium regem post tot idololatriae facinora damnatum, exomologesis non liberavit? Et quid est quod ait Dominus: *Nonne qui ceciderit, resurget, et qui aversus fuerit, convertetur* (Jer. 8, 4)? Quid illa tot similitudinum dominicarum argumenta respondent? Quod drachmam invenit mulier, et gratulatur inventam; quod pastor ovem reportat erraticam; quod filio revertenti, post prodacta omnia bona et cum meretricibus et fornicariis nepotata [1]), pater blandus occurrit, et invidum fratrem ostensa ratione castigat? *Filius*, inquiens, *meus hic mortuus fuerat, et revixit*; *perierat, et inventus est* (Luc. 15, 32). Quid ille in via vulneratus, a levita et sacerdote praeteritus? Nonne curatur? Revolve quae Spiritus dicat ecclesiis (Apoc. 2): ephesios desertae dilec-

[1]) *Nepotata*, prodige effusa.

tionis accusat: stuprum thyatirenis imputat; sardos in opere cessantes, pergamenos docentes diversa reprehendit; laodicenorum divitias inurit; et tamen omnes ad poenitentiam satisfactione invitat. Quid Apostolus ad corinthios cum ita dicit: *Ne cum venero, lugeam multos ex his qui ante peccaverunt, et non egerunt poenitentiam ex his quae ante gesserunt in fornicatione et immunditiis suis* (2. Cor. 12, 21)? Quid, cum rursus ad galatas: *Si quis praeventus fuerit in aliquo delicto* (Gal. 6, 1), id est, quocunque, *vos qui spiritales estis, instruite ejusmodi in spiritu mansuetudinis, cavens ne et tu tenteris?* At numquid paterfamilias in magna domo argentea tantum et aurea vasa custodit? Nonne et fictilia et lignea, et composita quaedam et refecta dignatur? *Nunc gaudeo*, inquit Apostolus, *quia contristati estis ad poenitentiam* (2. Cor. 7, 9). Et iterum: *Quia secundum Deum tristitia poenitentiam in salutem stabilem operatur* (Ibid. 10).

6. Sed poenitere non licuit [1]). Nemo sine

---

[1]) *Sed poenitere non licuit.* Sensus est: Nisi Deus veniam concedere vellet peccatoribus, non liceret, non permitteret ipsis agere poenitentiam, nam

fructu imperat laborem: *Dignus est enim mercenarius mercede sua* (Matth. 10, 10; Luc. 10, 7). Numquid Deus non poenitenti comminaretur, nisi ignosceret poenitenti? Solus hoc, inquies, Deus poterit. Verum est: sed et quod per sacerdotes suos facit, ipsius potestas est. Nam quid est illud quod Apostolis dicit: *Quae ligaveritis in terris, ligata erunt et in coelis; et quaecunque solveritis in terris, soluta erunt et in coelis* (Matth. 18, 18)? Cur hoc, si ligare hominibus ac solvere non licebat? An tantum hoc solis apostolis licet? Ergo et baptizare solis licet, et Spiritum sanctum dare solis, et solis gentium peccata purgare: quia totum hoc, non aliis quam apostolis imperatum est. Quod si uno in loco et resolutio vinculorum et sacramenti [1]) potestas datur: aut totum

---

nemo sine fructu imperat laborem etc.; vel forte, poenitentiam imponere non licuit, quod tamen facit Deus, faciebant novatiani.

[1]) *Sacramenti potestas*, jus dandi, ut videtur, baptismi. Jus vero dandi baptismi et potestas solvendi non sunt data *uno in loco*, sed diversis potius in locis Matth. 28, 19. et Joan. 20, 23. Forte quia post resurrectionem utraque concessa fuit praerogativa, dicit datam *uno* in loco, vel quia censuit iisdem verbis utramque potestatem esse collatam vel saltem simul. Merito autem infert s. praesul aut utramque praero-

ad nos ex apostolorum forma et potestate deductum est; aut nec illud ex decretis relaxatum est. *Ego*, inquit, *fundamentum posui; alius autem superaedificat* (1. Cor. 3, 10). Hoc ergo superaedificantes, quod apostolorum doctrina fundavit. Denique et episcopi apostoli nominantur, sicut de Epaphrodito Paulus edisserit: *Fratrem et commilitonem*, inquit, *meum*; *vestrum autem apostolum* (Philip. 2, 25). Si ergo et lavacri et chrismatis potestas, majorum et longe charismatum ad episcopos inde descendit; et ligandi quoque jus adfuit atque solvendi. Quod etsi nos ob nostra peccata temerarie vindicamus; Deus tamen illud, ut sanctis et apostolorum cathedram tenentibus, non ne-

---

gativam transisse in apostolorum successores aut neutram. Atqui neutram transisse absurde affirmatur, cum episcopi opus ab apostolis coeptum continuare debeant. Quod si tamen novatiani urgeant, solis apostolis concessam fuisse duplicem praerogativam, advertant, etiam episcopos apostolorum nomine insigniri Phil. 2, 25, proinde non posse tam audacter negare in episcopos quoque derivari jus solvendi ligandique. Ceterum haec argumentatio invicta est adversus protestantes, qua probatur, absolutionis ritum, quo peccatores in Ecclesia a peccatis solvuntur, non minus esse sacramentum quam baptisma. Cf. *opusc.* V, 206. ss. annot. et XIV, 134. annot.

gabit, qui episcopis, etiam Unici sui nomen indulsit.

7. Plura scriberem, frater, ni et celeritate pueri revertentis urgerer, et vel praesenti tibi, vel de omni proposito confitenti, copiosiora servarem. Nemo episcopum hominis contemplatione [1]) despiciat. Recordemur, quod Petrus apostolus Dominum nostrum episcopum nominarit: *Sed conversi*, inquit, *modo ad episcopum et pastorem animarum vestrarum* (1. Petr. 2, 25). Quid episcopo negabitur, in quo Dei nomen operatur? Reddet quidem illi rationem, si quid perperam fecerit, vel si corrupte et impie judicarit. Nec praejudicatur Deo, quo minus mali aedificatoris opera rescindat: interea si pia illa administratio est, adjutor Dei operum perseverat. Ecce Apostolus ad laicos scribit: *Si cui quid donatis, et ego: nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi; ut non possideatur a satana; non enim versutias ejus ignoramus* (2. Cor. 2, 10, 11). Si autem quod laici donant, Apostolus donasse se dicit; quod episcopus fecerit, qualiter respuetur? Ergo nec baptisma,

---

[1]) *Hominis contemplatione*, propterea quod homo sit.

nec criminum remissio, nec innovatio corporis [1]), sanctae potestati ejus indulta est; quia nihil propria usurpatione mandatum est, totumque id ex apostolico jure defluxit. Scio, frater, hanc ipsam poenitentiae veniam non passim omnibus dari, nec ante quam aut interpretatio divinae voluntatis, aut forsitan visitatio fuerit, relaxari. Magno pondere magnoque libramine post multos gemitus effusionemque lacrymarum, post totius ecclesiae preces, ita veniam verae poenitentiae non negari, ut judicaturo Christo nemo praejudicet. Si apertius, quid tu sentias, scripseris, frater, plenius instrueris.

---

[1]) *Innovatio corporis*, forte consecrationem eucharisticam intelligit. *Sanctae potestati*. Haec jura et praerogativae baptizandi, remittendi peccata non sunt indulta ministris, quatenus sunt sancti, sed jure divino ex apostolis in ipsos, qui apostolorum sunt successores, transeunt, qui etiamsi sancti non sint, iis fruuntur. Disserit deinde de praxi catholica dandi veniam poenitentibus, non indiscriminatim, sed tum quum *interpretatio divinae voluntatis aut visitatio fuerit* i. e. cum ministri Ecclesiae ex poenitentis dispositione poterunt interpretari, colligere voluntatem divinam ad veniam promptam vel gratiae divinae in peccatoris animo operationem. Quam praxim dicit non esse praejudicandam seu damnandam, prout novatiani faciebant.

EPISTOLA II.

De Sympronani literis.

Pacianus episcopus Semproniano fratri salutem.

1. In quaestione prolixa, quantum potero brevitatem sequar. Neque tibi, frater, sub interrogationis bonae specie, occulta verborum tela jaculanti atque objicienti, quae ipse machinare, aliquam vicem malitiae repensabo. *Orare pro persequentibus* jubemur, *maledicentibusque benedicere* (Matth. 5, 44). Fraus enim quasi vulpeculae, vis autem leonis est: utrumque ab homine alienissimum; sed fraus odio digna majore. Nam cum plus nocere credas, quasi ignarus interrogas; cum docere te putes, simulas erudiri. *Rabbi* Dominum vocabant veteres pharisaei, cum aenigmata legis opponerent; *magistrum* appellabant, cum sibi omne magisterium vindicarent. Quidlibet agas, frater, totum ex me simpliciter recognosces. Malo imperitus, quam malitiosus intelligi: malo fatuus, quam callidus judicari. Quare prius quam rationem fidei nostrae (de qua moveris) assignem, accipe pauca de literis tuis, quas tractatui praetulisti.

2. Refectum esse te dicis prioribus epistolis meis, et statim addis me cum amaritudine respondisse quae scripserim. Si amara reficiunt, quid dulcia operentur ignoro; nisi quia, ut in medicinae poculis, solet amarum magis quam dulce medicari. Sed quaeso, literas meas repetas, an aliquo felle respersae sint, quid superbum, quid insuave responderim. Plures me, ais, haereses nominasse, de quibus nemo quaesierit. Age, quid tua si haereticus non eras? Qui cum de fide nostra moveres quaestionem, et doceri velle te diceres, scripsi ignorantiae causas esse multiplices, quae vos potissimum haberet, ut aperires, ne retexendis pluribus aestuarem. De *catholico nomine* multa respondi placide. Dixi enim, nihil alterius interesse quid alius vocaretur. Ac si vim nominis postulares, quodcunque illud esse mirificum, seu unum in omnibus, seu unum super omnia, seu quod ante non dixi, filius regis, id est populus christianus. Adeo certe non inditum nobis quod per secula tanta non caderet. Et sane gratulor, quod licet alios anteposueris, etiam circa nos assentiare de nomine [1]). Quid si

---

[1]) *Licet alios anteposueris*, coetui catholicorum praetuleris, consentiris tamen nomen *catholici* nostro

negares? Natura clamaret. Aut si adhuc dubitas, taceamus. Ambo, quod vocabimur, hoc erimus teste nominis vetustate. Ceterum si pertinacius flagitaveris, vide ne tibi vir ille virtutis exclamet: *Quid interrogas nomen meum? Et ipsum est mirabile* (Judic. 13, 18). Tunc addidisti sane, unde catholici nomen hoc traherent, non esse reputandum; quia nec valentinis si a Valentino, nec phrygibus si a Phrygia, nec novatianis si a Novatiano vocarentur, imputari solere.

3. Hic tu graviter commoveris, et quasi aculeo fixus erigeris; nam sic iratus exclamas: Numquid Cypriano sancto viro hoc obest, quod populus ejus apostaticum nomen habet, vel Capitolinum, vel Syndreum [1])?

---

coetui competere. *Quid si negares* hoc nomen nobis convenire? *Natura*, rei evidentia *clamaret*, cum nullus alius coetus sit adeo diffusus per orbem sicut noster... *Hoc erimus teste nominis vetustate*, eo ipso quod tamdiu certum nomen nobis inhaereat, probatur illud nos esse, quod nomine significatur.

[1]) Putat Tilius legendum esse συνέδριον. A quibus autem et qua occasione fidelium multitudo dicta fuerit *populus Cypriani* i. e. fideles, quorum episcopus erat Cyprianus, *capitolinus* et *synedrius* non constat; certe a paucis iisque obscuri nominis haereticis, cum ne Pacianus quidem hujus appellationis vestigium repererit. Forte dictus est *capitolinus*, quod plures fideles tempore persecutionis lapsi sint

Conviciaris; et ecce non moveor. Horumne aliquid appellati sumus? Interroga seculum, frater, totosque ex ordine annos; an nobis nomen hoc haeserit, an Cypriani populus aliud quam *catholicus* nominatus sit? Numquam nomen ullum ex his audivi. Jam vide, si vocari aliquis eo nomine potuit, quod sibi nescit impositum. Quid ergo? Maledicta sunt ista, non nomina; et maledicta irascentium, maledicta petulantium. Quotvis et ego vos possum appellare nominibus, si liceat irasci. Cyprianum sanctum vocas, et populum ejus apostaticum? Quomodo? *si initium sanctum, et farina; et si radix sancta, et rami* (Rom. 11, 16). Egone apostaticus, an Novatus? Novatus, inquam, patre prodito,

---

et sacrificaverint in capitolio, quos dein Cyprianus post actam poenitentiam iterum in Ecclesiae sinum receperit, secus ac plures haeretici et schismatici faciendum censuerunt. *Synedrius* forte dictus est, quod Cyprianus in recipiendis lapsis aliisque Ecclesiae negotiis non citra concilii sententiam aliquid decernere soleret. Confirmatur autem ex iis, quae hic Pacianus refert, quod annotavimus *opusc.* VI, 87., nomina scil. ab haereticis per convicium catholicis imposita non haesisse, sed communi consensu et semper eos dictos fuisse *catholicos*. Contra, ut infra advertit, nomen haereticorum ab haeresis auctore derivatum jugiter his inhaeret.

Ecclesia derelicta, partu uxoris effuso[1])? Egone apostaticus, an Novatianus, quem absentem epistola episcopum finxit; quem consecrante nullo, linteata sedes accepit? Verum ista posterius: interim ipsi vos dicite quid vocemini. Negatisne novatianos a Novatiano vocari? Quodlibet nomen imponas, semper istud haerebit. Scrutare totos (si videtur) annales, et crede tot seculis: respondebis christianum. Inquirente me genus sectae, novatianum non inficiaberis[2]). Nec tamen ego

---

[1]) Novatus cum aliis quatuor presbyteris schismatis auctor fuit tempore s. Cypriani. Inter alia crimina, quae ei objiciebantur, et illud erat, quod uxorem calceo ita percusserit, ut partum effunderet. Cf. infra ep. 3. n 6. Licet censeret lapsos sine ulla poenitentia esse in Ecclesiam recipiendos, Novatiani partes fovit, qui Romae adversus Cornelium schisma fecerat et plane contrariam praxim tuebatur, lapsos scil. nullatenus esse recipiendos. *Quem absentem epistola*, qua falso jactabatur legitime electus (cf. infra ep. 3 n. 6.), *episcopum finxit*, *quem consecrante nullo*, consecratus tamen narratur a tribus episcopis, sed forte ita loquitur Pacianus, quod consecratio fuerit prorsus *illegitima* (ut ipse innuit infra n. 7.), vel quia eam consecrationem putaverit non sine fundamento *invalidam* (cf. *opusc* XVII, 128); *linteata sedes* i. e. sedes episcopalis, quae linteis contegi solebat. Cf. *opusc.* I, 27.

[2]) *Novatianum non inficiaberis.* Cf. haec cum ep. 1. n. 4: *Christianus mihi nomen est, catholi-*

Novatiani tui nomen accuso, quod toties requisitum circumloquentibus lineis et operto quodam sinu claudis. Fatere simpliciter: nihil est sceleris in nomine. Quid te toties interrogatus abscondis? quid causam nominis erubescis? Cum primum scripseras, cataphrygem putabam. Tu ne secundis quidem literis confiteris. Meo invides nomini, et tuum vitas? Vide qui sit pudoris in causa, quae refugit quod vocatur.

4. Quae castigas et agis? Quasi ad rhetorem venerimus, aut ars sit tractanda, aut de versibus Virgilii versus enarrarem. Cum plures haereticos nominassem, addidi[1]: *Et quos fama recondit obscura.* Et unde tu hoc de Virgilii versu tractum putas, si Virgilium omnino non noveras? Atqui nego, non ex ordine versum posui. Dixi enim: *Quos fama recondit obscura*; ut loquentibus moris est, ex copia sermonis humani dicere aliquid,

---

cus vero cognomen. — *Nihil est sceleris in nomine* (scil. Novatiani), per se quidem, quamdiu nomen materialiter spectetur et is, qui illud gestat, sit bona fide, concedi posset, alioquin nomen haereticum est quaedam haeresis professio.

[1]) *Et quos fama recondit obscura.* Haec scripserat auctor epist. 1. § 1. Mox forte legendum *Atquin ego.*

quod ante dictum sit. Tu vero versum suo ordine sua compage repetisti. Adeo Virgilium plus amasti, ut nefas fieri putares, si versum ejus infringeres? Et tamen ego a parvulo didiceram. Quid mirum si in ea incidi quae sciebam? In te, frater, tantus est labor, ut ea nunc demum legas, quae lecta quondam ab aliis erubescebas? Latinis institutum, latine loquentem tam accusare debebis, quam graece graecum, quam parthice parthum, quam punice poenum: medis, aegyptiis, hebraeis sua lingua est secundum copiam Domini, qui eam in centum viginti ora modulatus est. Poeticum versum episcopus dixit [1]). Quid Paulus apostolus? Erubescit, cum atheniensem illum versum et dixit et comprobat? Nam in Actis apostolorum ita ponit: *Quidam etiam secundum vos dixerunt: Hujus namque genus sumus: cum igitur genus simus Dei* (Act. 17, 28, 29). Et rursus ad Titum dixit: *Dixit quidam ex illis proprius eorum propheta: Cretenses semper mendaces, malae bestiae, ven-*

---

[1]) *Poeticum versum episcopus dixit.* Videtur Sympronianus quasi scandalum passus, quod Paciano scribenti exciderit fragmentum versus virgiliani; hinc totus est s. episcopus in eo, ut hoc factum excuset et a vitii nota liberet.

tres pigri (Tit. 1, 12, 13). Et addit: *Testimonium hoc verum est.* Sic peccamus exemplo: nec rhetores sumus, sed quamcunque vocem copiam Dei credimus. Latium, Aegyptus, Athenae, thraces, arabes, hispani Deum confitentur; omnes linguas Spiritus sanctus intelligit. Tu ipse cur ais, literas tuas vivaci cedro perlinam propter cariosos hostes musarum? Quarum, oro, musarum? An quae invenerint literas et scripserint chartas, quas tineae persequentur? Dic, oro, frater, musae literas repererunt? Nonne per Dominum omnia et a Deo omnia? Praeter illas [1]) centum et viginti linguas, fuit adhuc alia musarum? Hesiodus istud in Helicone mentitus est, sed atheniensium studio, quibus, ut Apostolus ait, nihil vacabat nisi loqui (Act. 17, 21). Nos teste Apostolo (1. Cor. 14, 10, 18) omnium vocum modos, omnium genera linguarum a Deo inspirata retinemus. Ignosco tamen, frater, si quid et tu de tuo auctore praesumis, et Novatiani philosophiam, per quam ille in naufragium religionis incurrit, cum Hesiodi auctoritate conjungis. Veruntamen

---

[1]) *Centum et viginti linguas.* Eadem paulo ante insinuat auctor. Cotelerius tamen ad *Recognit.* lib. 2. cap. 42. conjicit scripsisse Pacianum 70 *linguas*: unde levi mutatione ortus numerus 120.

Apostoli meminisse debueras, qui ait: *Videte, ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem seductionem* (Coloss. 2, 8).

5. Jam quale illud est, quod catholicis imputandum putas, si quando vos reges aut imperia persecuta sunt [1]? Ergo e contrario vobis debuit imputari, quoties regum et persecutionem catholici pertulerunt, atque nostros pagani principes persecuti sunt. Vos christianorum odia pertulistis? Sed nostri magis questi sunt. Viderit qui hoc fecit, qua mente, quo spiritu; pacemne an discordiam procurarit. *Verum etsi quidam eorum deliquerunt*, inquit, *numquid fidem Dei destruunt* (Rom. 3, 3)? Nec tamen tu querelam putes fuisse nostrorum. Sed cum per nostram fidem christiani principes esse coepissent, ipsi principes Catholicae, hoc est suae parti faventes proprio dolore commoti sunt; nisi forte Danieli imputabitur, quod a Dario vindicatus est; aut Hesteri sanctissi-

---

[1]) Respicit donatistarum (cf. Optatus de *schism. donat.* l. 8. n. 1. ss. *opusc.* t. X.) vel forte geminas novatianorum calumnias, quod catholici causa exstiterint persecutionis in ipsos, si quando imperatores christiani ipsorum crimina et seditiones punierint vel inflictis poenis catholicos ab eorum violentiis tutati sint. Infra videtur supplendum: quoties regum *impietatem*.

mae feminae, cum pro ea dux regis occiditur; aut tribus pueris, quod propter eos post experimenta flammarum, profanis et incredulis rex babylonius comminatur. Nonne Simonem Petrus, judice adstipulante [1]), confundit? Non Helima, favente Sergio, Paulus excaecat? Vindicatus esset et Hierosolymis, si quid fidei ligatus habuisset. Nescis servire ipsas innocentibus potestates, et in bonum sanctis patribus ministrare? Sicut Apo-

---

[1]) *Judice adstipulante.* Prae oculis habet factum a pluribus aliis scriptoribus relatum de romano Petri cum Simone mago conflictu, quem ita refert Philastrius *haeresi* 29.: „Qui (Simon) cum fugeret b. Petrum ap. de hierosolymitana civitate Romamque veniret, ibique pugnaret cum b. apostolo apud Neronem regem (hunc forte designat Pacianus, cum ait *judice adstipulante*) devictus undique oratione b. apostoli atque percussus ab angelo, sic meruit interire, ut ejus magiae evidens mendacium cunctis hominibus patefieret.“ Cum enim promitteret se volaturum „a daemonibus, a quibus in aere ferebatur, adjurante eos Petro per Deum, Paulo autem orante, dimissus crepuit,“ ut ait Isidorus hisp. in *Chronico.* — *Vindicatus esset et Hierosolymis* etc. Locus obscurior. Sensus forte est, quod Paulus Hierosolymis e judaeorum manu divinitus fuisset liberatus et a persecutione in eum commota vindicatus, si hujus occasio proxima et immediata fuisset fides christiana. Verum occasio, immediata saltem et quam primo loco judaei praetendebant, fuit alia, ut colligitur ex Act. 21, 28. ss.

stolus dicit: *Principes non sunt timori bono operi, sed malo. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac, et habebis laudem ex ea per Dominum: minister enim est tibi in bonum* (Rom. 13, 3, 4). Et tamen ergo de nullo questus [1]), de nemine vindicatus. Nec impedire mihi novatianos puto, quorum parvitate si vellem atque defectu poteram gloriari. Ecce plebem tuam imperatori nullus accusat, et solus es. *Oportet nos tamen omnes stare ante tribunal Dei* (Rom. 14, 10; 2. Cor. 5, 19). Quod unum scio, quererentur novatiani, si causa eorum esset ullis grata principibus.

6. Utilius esset, ais, vincere quam placere. At qui vincendi ardore ducuntur, contentione proficiunt. Apostolus vero ait: *Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, nec Ecclesia Dei* (1. Cor. 9, 16). Contra de studio placendi: *Omnibus*, inquit, *per omnia placeo non quaerens quod mihi utile sit, sed quod*

---

[1]) *De nullo* scil. haeretico *questus sum, de nemine vindicatus*, adversus nullum haereticum imploravi auxilium ab imperatore; neque id impedire potuissent novatiani, qui sunt tam pauci, quod tamen certe fecissent, *si causa eorum esset ullis gratia principibus.*

multis, ut salventur (1. Cor. 10, 33). Vos autem dum vestra non fratrum [1]) commoda cogitatis, vincendo mavultis elidere, quam placendo recreare. Malum bono vicisse, rationis est; ceterum in quacunque causa velle superare, praesumptionis insanae est. Non de apostolico jure, sed de graeco, apud quos scriptum putatur, omnem morem lacedaemoniorum inflammatum esse cupiditate vincendi. Sus quoque ille lutulentus et insana tigris, quid aliud velint nisi vincere quam placere? Vacare tibi scribis, et ideo te contentiosa delectant. Mihi vero catholicis negotiis occupato post triginta ferme dies literae tuae traditae sunt, post alios quadraginta repetitae.

7. Irasci me ais; absit. Stimulari ut apem, credo, quae interdum aculeo mella defendit. Verum recole utrimque literas; jam videbis spiculisne an floribus paginam conseramus. De similibus quidem Apostolus [2]), *quos oportet indentari* (Tit. 1, 11). Sed attende. Nos tecum quasi columbae, ore potius quam dente, confligimus. Utinam verum esset quod

---

[1]) *Fratrum* in grave peccatum lapsorum et poenitentiam agèntium, quibus novatiani dure negabant veniam.

[2]) *Indentari* i. e. redargui.

doceri velle te dicis! jam ipse tibi manibus meis sancti Spiritus unguenta suggererem, Amas me? Non laesi, scio. Sed tunc demum amares, si non diversa sentires, atque operi meo blandus accederes. Cypriani epistolas mihi placere miraris? Quidni beati martyris et catholici sacerdotis? Novatianum mihi ingeris? Philosophum seculi fuisse audio; nec satis miror ab Ecclesia Dei vivi degenerasse. Cognosco, radicem legis antiquae, fontem veteris populi reliquisse, Cornelio invidentem, Novati insaniae commodatum [1]), sine consecratione legitima episcopum factum, ideoque nec factum per epistolam eorum, qui se confessores esse simularent, qui matris unius membra divellerent. Haec ego tibi, frater, confessione vestrorum, literis approbabo. Ita tuus iste philosophus, *sapientiam suam quaerens statuere*, sicut Apostolus ait (Rom. 10, 3), *sapientiae Dei non est subjectus*; quoniam per sapientiam

---

[1]) *Novati insaniae commodatum*, forte, qui se accommodaverit insaniae Novati schismatici ad ipsum ex Africa profugi (cf. supra annot. 1. pag. 155). *Nec factum* i. e. *electum per epistolam eorum*, qui, quamvis pro fide carcerem essent passi, ideoque confessores dicti, tempore electionis Cornelii turbas in Ecclesia romana excitarunt.

suam mundus non recognovit sapientiam Dei (1. Cor. 1, 21.). Nam quod ante passum Novatianum putas, et Cyprianum dixisse subjungis: „Praecessit me adversarius meus;" vide quam manifeste respondeam. Novatianus martyrium nunquam tulit, nec ex verbis beatissimi Cypriani auditum istud aut lectum est. Habes ejus epistolas [1]), quibus Cornelium Urbis episcopum, cui tunc Novatianus inviderat, inimicis principibus resistentem, saepe confessum, saepe vexatum refert; plurimis confessoribus, plurimis quoque martyribus ducem factum, et cum plurimis gloriosissime coronatum vivente tunc Novatiano etiamque securo. Nam et ideo ab Ecclesia Christi recesserat, ne illum labor confessionis urgeret. Qui primum stimulatus invidia, episcopatum Cornelii non ferebat; inde se Novato paucorum epistolis derisus addixerat. Haec te omnia de Novatiano Cypriani literae perdocebunt. Porro etiam si passus est aliquid Novatianus, non tamen coronatus. Quidni? Extra Ecclesiae pacem, extra concordiam, extra eám matrem, cujus portio debet esse qui martyr

---

[1]) Habes has literas plane insignes *opusc.* XXI, 91. ss., ubi plura reperies ad haec illustranda.

est [1]). Audi Apostolum: *Et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habeam, nihil sum. Et si in cibos pauperum divisero omnem substantiam meam, et si tradidero corpus meum ad comburendum, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest* (1. Cor. 13. 2, 3). Cyprianus autem in concordia omnium, in pace communi, in confessorum grege passus est, et saepe confessus iteratis persecutionibus, et multa laceratione vexatus, et novissime salutari calice propinatus est. Hoc fuit coronari. Quare sibi habeat Novatianus epistolas suas; sibi tumorem, sibi superbiam, qua dum in altum levatur, elisus est; dum nemini parcit, effusus. En qui salutis viam fratribus inexorabili religione praecludat! En qui se palam ferre [2]), et aream Domini purgare confidat!

8. Miserere tui, Sympronlane frater, nec te Novatianus sub hac fronte decipiat; et ideo justior putetur, quia reliquos sui compara-

---

[1]) Insignem commentarium horum verborum reperies in s. Cypriani l. *de unitate Ecclesiae* n. 14. *opusc.* I, 87. s.

[2]) *Palam ferre*, jactare, extollere, vel forte legendum *paleam auferre.*

tione despexit. Saepe fiduciam mentitur audacia; et desperatis quibusque peccatoribus, falsa bonae conscientiae imago blanditur. Contra vero omnis humilitas innocentia est, etiam illa debitrix, etiam illa peccatrix [1]), etiam illa quae animam suam cum peccatore blanditur. *Dele me*, inquit Moyses (Exod. 22, 32), *de libro quem scripsisti*, nec peccatores perirent. *Optaveram*, inquit Apostolus, *anathema esse ipse ego in Christo pro fratribus meis, cognatis secundum carnem* (Rom. 9, 3). Utique ambo pro peccatoribus deprecantur; et propter hoc Deum nec Moyses nec Paulus offendit. Novatianus his melior? Emendator prophetarum? doctor apostolorum? Jam cum Christo videtur ut idem Moyses? Jam ut Paulus in tertium coelum sublimis evehitur? Jam neglectis omnibus solus auditur? Haec ad literas tuas respondisse suffecerit. Sed quia de poenitentia non agenda, vel ante baptismum agenda latius disputasti multisque capitulis exemplorum tractatus ipsius paginam refersisti, respondebo ad singula ex abundanti: quae fides verior habeat, non tacebo. Tu, ut

---

[1]) *Illa peccatrix*, quae erga peccatores humana et blanda est.

auditui nostro largiter imperare dignatus es, benignam rursus vicem praebeto tractatui. Praestabit fortasse Dominus, ut qui nos tibi patienter obtulimus, fructum aliquem de tua etiam patientia reportemus. Dominus te in aeternum custodire et protegere dignetur, et christianum atque catholicum vivere faciat et concordare nobiscum. Amen.

EPISTOLA III.

Contra tractatus Novatianorum.

Pacianus episcopus Semproniano fratri salutem.

1. Tractatus omnis novatianorum, quem ad me confertis undique propositionibus destinasti, Sympronianae frater, hoc continet: Quod post baptismum poenitere non liceat; quod mortale peccatum Ecclesia donare non possit, imo quod ipsa pereat recipiendo peccantes. Praeclarus honos, singularis auctoritas, magna constantia; rejicere nocentes, attactus peccantium fugere, innocentiae suae male confidere. Quis hoc vindicat, frater, Moyses, an Paulus, an Christus? At Moyses deleri e libro pro blasphematoribus optat (Exod. 32, 32): et Paulus *anathema esse pro fratribus* (Rom. 9, 3); et ipse Dominus

pro injustis pati mavult. Nullus horum, inquies. Quis ergo? Novatianus hoc praecepit. Immaculatus aliquis et purus, qui Novatum non audierit[1]), qui numquam Ecclesiam deseruerit, qui ab episcopis episcopus factus sit, qui jure ordinario consecratus, qui vacantem cathedram in Ecclesia consecutus? Quid ad te? inquies; Novatianus hoc docuit. At vel quando, frater, quibusve temporibus? Statim post Domini passionem? post Decii principatum, id est, post trecentos prope annos dominicae passionis. Quid ergo tunc? Prophetas secutus est ut Cataphryges, an Philomenem aliquam, ut Apelles; an ipse tantum auctoritatis accepit? Linguis locutus est? Prophetavit? Suscitare mortuos potuit? Horum enim aliquid habere debuerat, ut evangelium novi juris induceret. Et si contra clamet Apostolus: *Licet nos, aut angelus de coelo evangelizaverit praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit* (Gal. 1, 8). Novatianus sic intel-

---

[1]) *Qui Novatum non audierit.* Exprobrat Pacianus Novatiano, quod talia docere praesumat, cum tamen adhaeserit Novato, homini scelerato (cf. supra n. 3. et ep. 3. n. 19.), qui in Africa contrarium plane statuerat, lapsos scil. citra satisfactionem in Ecclesiam esse iterum recipiendos.

lexit, inquies : sed Christus hoc docuit. Ergo a Christi (adventu) usque Decii principatum nullus intelligens? Post Decium denique omnis episcopus impatiens; omnes alii dissoluti, qui se miscere perditis mallent, qui perire cum miseris, qui alieno vulnere vulnerari? Novatiano vindice justitia liberatur; auctore corrigitur quidquid erravit [1]).

2. Age, inquies, certemus exemplis et ratione pugnemus. At ego huc usque securus: ipsa Ecclesiae serie, congregationis antiquae pace contentus: nulla discordiae studia didici, nulla certaminum argumenta quaesivi. Tu postquam a reliquo corpore segregatus es et a matre divisus, ut rationem facti tui redderes, totos librorum recessus assiduus scrutator inquiris: occulta quaeque sollicitas: quidquid exinde securum est, inquietas. Nostri nihil ultro disputavere majores: nuda

---

[1]) Praeclara disputatio et adversus haereticos omnes efficax, qui missionem suam extraordinariam, quam sibi ad restaurandam reformandamque Ecclesiam vindicant, probare modo singulari prius deberent; quod nunquam tamen praestiterunt. Neque enim sufficit sibi hanc missionem tantum vindicare, quod etiam sutor et sartor quivis posset. Cf. similia apud Tertullianum *praescript.* n. 29. *opusc.* IX. cum annot. subjecta.

est apud nos ipsa securitas: quid attuleris de tua parte munitum? Ego nescio quid Novatianus egerit, quid Novatus admiserit, quid Evaristus tumuerit, quid Nicostratus nunciaverit: arma vestra dum despicio, non novi; vide si cum inermi veritate confligis. Exspectemus tamen quid objicias, quid loquaris. Poteratne vel nuda veritas innocentiave imperita subsistere? Proponis, et recte quidem, Ecclesiam esse populum ex aqua et Spiritu sancto renovatum, sine negatione nominis Christi, templum et domum Dei, *columnam et stabilimentum veritatis* (1. Tim. 3, 15), virginem sanctam castissimis sensibus. sponsam Christi *ex ossibus ejus et carne* (Ephes. 5, 30), *non habentem maculam neque rugam* (Ibid. 27), integra evangeliorum jura servantem. Quis hoc nostrum negat? Quin etiam addimus Ecclesiam esse reginam *in veste aurata et variegata* (Psal. 44, 10), *fecundam vitem in lateribus domus Domini* (Psal. 127, 3); matrem *adolescentularum, quarum non est numerus* (Cant. 6, 7); *unam speciosam columbam matris suae atque perfectam* (Ibid. 8); ipsam omnium matrem *aedificatam in fundamentis prophetarum et apostolorum, et ipso angulari lapide Jesu Christo* (Ephes. 2, 20): domum

magnam vasorum omnium diversitate locupletatam.

3. Sed haec nostra posterius; interim tua illa videamus. *Ecclesia est populus ex aqua et Spiritu sancto renatus.* Age, quis fontem Dei clausit? Quis Spiritum rapuit? Quin imo apud nos aqua viva est, ipsa quae salit a Christo: tu, a fonte perpetuo separatus, unde generaris? Spiritus quoque sanctus a principali matre non abiit: ad te unde pervenit? nisi forte discordantem secutus est, tot sacerdotibus derelictis non consecrata sede contentus, detritum lacum adulterini fontis adamavit. Vestrae plebi unde Spiritum [1]), quam non consignat unctus sacerdos? Unde aquam, quae matrice discessit? Unde innovationem, quae cunabula pronubae pacis amisit? *Ecclesia est populus sine negatione nominis Christi*: nulli ne apud nos confessores, quos catenae, quos ignes, quos gladii probaverunt? Fuere, inquies, sed negatores recipiendo perierunt. Taceo ne, haec quidem

---

[1]) *Unde Spiritum* supple, vindicas, tribuis plebi, *quam non consignat unctus sacerdos*, quod Novatianus vel *invalide* vel saltem *illegitime* fuerit ordinatus. Cf. supra annot. pag. 155. *Unde aquam* baptismi, supple iterum, vindicas, asseris, *quae* scil. plebs *a matrice* a vera Ecclesia *discessit?*

collegio [1]), quod libellum de negatoribus vel lapsis recipiendis Novatianus vester, cum adhuc in Ecclesia degeret, et scripsit et suasit et legit? Interim, cui persuadere poteris, quod lapsis receptis Ecclesia tota conciderit? Quod admissis poenitentibus, admittentium populus negator effectus sit? Quod si et remissior plebs aliqua fuit, etiam ceterae quae non factum ejus probarint, sed consuetudinem et pacem secutae sint, christianum ne nomen amiserunt? Accipe Hieremiae vocem: *In diebus illis non dicent: Patres manducaverunt uvam acerbam, et dentes filiorum stupuerunt: sed unusquisque in suo peccato morietur* (Jerem. 31. 29, 30). Nec apud Ezechielem tacet Dominus: *Quomodo anima patris, ita et anima filii, meae sunt. Unusquisque in suo peccato morietur* (Ezech. 18, 4). Item infra: *Filius non accipiet facinus patris, neque pater accipiet facinus filii:*

---

[1]) *Haec quidem collegio.* Haec verba toti periodo postponenda videntur, ut sensus sit, Novatianum ipsum, cum adhuc esset catholicus, lapsos esse recipiendos et scripsisse et suasisse et legisse et quidem collegis suis. Cf. infra n. 5. Hunc novatianorum errorem, quo praetendebant bonos maculari malorum consortio atque idcirco periisse Ecclesiam amplexi postmodum sunt donatistae.

Justitia justi super eum erit (Ibid. v. 20). Ipse tu illud ponis exemplum: *Et si fuerint tres hi in medio, Noe, Job et Daniel, non liberabunt filios neque filias: ipsi soli salvi erunt* (Ezech. 14, 16). Ecce salvi sunt ipsi, qui in medio peccantium constituti sunt, qui alios liberare non possunt. Tu totum orbem paucorum vinculis alligas: tu totam Ecclesiam exiguae portionis infirmitate condemnas. Quid apud te sancti omnes, quos Novatus erudit, quos Evaristus elegit, quos Nicostratus docuit, quos Novatianus instituit? Tu spinas et tribulos refugisti: tu non habes in tua fruge zizania: tibi jam grana purgata sunt: ad te sine ventilabro purgator ille venturus est (Matth. 3, 12): tu solus ex omnibus paleas non habebis?

4. Age, dic reliqua: *Ecclesia est corpus Christi.* Corpus utique, non membrum: corpus multis in unum partibus membrisque collectum, sicut ait Apostolus: *Nam et corpus non est unum membrum, sed multa* (1. Cor. 12, 14). Ergo Ecclesia plenum est corpus [1]), et corpus et solidum, et toto jam orbe

---

[1]) *Et corpus et solidum.* Existimarim equidem aut delendam posteriorem conjunctionem, aut potius duabus prioribus voculis expunctis, legendum *et solidum.*

diffusum. Sicut civitas, inquam, cujus partes in unum; non ut vos estis novatiani, quaedam insolens portiuncula tuberque collectum, et reliquo corpore separatum. *Ecclesia est templum Dei*: templum certe amplificum, *domus magna*, habens quidem *vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia, quaedam in honorem*, multa vero magnifica in multiplices usus variorum operum destinata (2. Tim. 2, 20). *Ecclesia est virgo sancta, castissimis sensibus, sponsa Christi.* Virgo: verum est, sed et mater. *Sponsa*: manifestum est, sed et uxor et conjux *de viro suo sumpta*, ideoque *os de ossibus ejus et caro de carne* (Gen. 2, 23). Nam de hac David dixit: *Uxor tua sicut vitis fecunda in lateribus domus tuae; filii tui sicut novellae olivarum in circuitu mensae tuae* (Psal. 127, 3). Multus igitur huic virgini partus et proles innumera, qua totus orbis impletur, qua circumfluis semper alvearibus populosum fervet examen. Magna in filios cura matris istius et mollis affectus: honorantur boni, castigantur superbi, curantur aegroti: nullus perit [1]), nemo despicitur: securi fetus sub

---

[1]) *Nullus perit* scil. ex culpa seu desidia Ecclesiae. Si quis catholicus perit, perit ex propria culpa.

indulgentia matris retinentur. *Ecclesia est non habens maculam neque rugam* (Ephes. 5, 27): hoc est, haereses non habens, non valentinos, non cataphrygas, non novatianos. In his sunt enim quidam sinus maculosi atque rugosi, pretiosarum vestium ornatibus invidentes. Ceterum peccator et poenitens non est Ecclesiae macula; quia quamdiu peccat et non poenitet, extra Ecclesiam constitutus est [1]). Ubi desinit peccare, jam sanus est. Haereticus vero vestem Domini, Ecclesiam Christi, scindit, intercipit, vitiat, irrugat. *Cum* enim *schismata*, inquit, *et contentiones in vobis sint, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis* (1. Cor. 3, 3)? Sed et *sermo eorum quasi cancer serpit* (2. Tim. 2, 17): haec est macula unitatis, haec ruga. Denique ubi super his [2])

---

[1]) *Extra Ecclesiam constitutus est*, non simpliciter et quatenus Ecclesia est societas visibilis, sed extra Ecclesiae animam et quatenus se subtrahit salutari Ecclesiae influxui; vel loquitur tantum de peccatoribus *capitalium* criminum reis (cf. infra *paraenesim ad poenit.* n 5.), qui excommunicationi erant obnoxii. Cf. infra annot. ad n. 17.

[2]) *Super his* puto peccatoribus poenitentiam agentibus, quibus novatiani veniam negabant. Quando horum meminit Apostolus, mentionem facit dilectionis Christi, ut nos scil. doceat, misericordiam ipsis esse

Apostolus loquitur, de amore Christi et dilectione proponit. *Sicut Christus*, inquit, *dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea* (Ephes. 5, 25); ut haereticos summoveret, quia diligere non noverunt. Ceterum, cur haec misero poenitenti? quia et amare optat et amari.

5. *Ecclesia est integra Evangeliorum jura custodiens.* Integra utique quia tota, quia plena. Ubi praemium fidelibus datur, ubi miseris lacrymae non negantur, ubi curantur aegroti, ubi nihil sibi vindicat insolens sanitas et superba justitia, ubi sollicita in omnibus caritas perseverat, *omnia credens, omnia sperans, omnia sustinens* (1. Cor. 13, 7). Unde illud Apostoli: *Quis infirmus est, et non ego infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror* (2. Cor. 11, 29)? Ubi onera sua sustinet tota fraternitas communiter dolens, mutua pietate secura. Cuncti invicem sustinentes in dilectione, *satis agentes servare unitatem Spiritus in conjunctione pacis* (Ephes. 4, 3). Hoc erit

---

adhibendam. *Cur haec misero poenitenti?* forte, cur poenitenti venia tribuenda seu misericordia est exhibenda? Quia apostolus vult amare et amari exemplo Christi: neutrum vero obtinet, ubi venia crude negatur.

Ecclesia, Symproniane frater; hoc erit populus ex aqua et Spiritu sancto renatus in Christo. Nescio, ais, an remitti peccatum ab episcopis possit, cum dixerit Dominus: *Qui me negaverit coram hominibus, negabo eum coram Patre meo qui in coelis est* (Matth. 10, 33). Cur igitur Novatianus tuus, ne falso quidem adhuc episcopatu sacerdos, longe ante quam Cornelius Romae episcopus fieret, ante quam sacerdotio illius invideret, haec suasit? Habes Cypriani testimonium, Cypriani quem nec vos unquam infamare potuistis. Nam quodam in loco, ad Antonianum [1]) hoc modo scripsit: *Additum est etiam Novatiano tunc scribente et quod scripserat, sua voce recitante, et Moyse, tunc confessore nunc jam martyre subscribente, ut lapsis infirmis et in exitu constitutis pax daretur; quae literae per totum mundum missae sunt, et in notitiam ecclesiis omnibus perlatae sunt.* Quid ais, Symproniane frater? Novatianus haec scripsit, et ut obsequium merae voluntatis adjungeret, etiam scripta recitavit. Testis est ejus dextera, testis quae scripsit, manus: testis lingua, quae

[1]) Exstat haec insiguis epistola *opusc.* XXI, 83. ss.

legit. Adhuc Cornelius, pro quo omnis haec vestra erupit invidia, episcopus non erat. Longe posterius cum plurimis coepiscopis, cum plurimis confessoribus statimque martyribus, ut idem Cyprianus scribit, assensus est senum consilio, licere dare pacem. Si poenitentiae negandus est aditus, Novatianus in crimine est, qui haec scripsit, suasit et legit. Ubi tunc impatiens rigor? ubi ferox illa censura? Si nemo vobis Cornelium praetulisset, maneret illa scribentis auctoritas. Nunc displicet tota sententia, nunc in nos tela jaciuntur, his ipsis subministrantibus, quorum auctoritate convaluit causa telorum [1]).

6. At in hanc ipsam haeresim novatiani quando coeperunt [2])? Audite, quaeso, et totum ordinem vestri erroris advertite. Cornelius jam Romae episcopus a sedecim episcopis factus, locum cathedrae vacantis acceperat, et in illa qua fuit praeditus castimonia virginali, crebras persecutiones irati principis sustinebat. Tum forte quidam presbyter Novatus ex Africa, fraudatis in carthaginiensi ecclesia viduis, spoliatis pupillis, pecunia

---

[1]) *Causa telorum.* Nunc nobis exprobatur a Novatiani factione illud, quod ut fieret ipse Novatianus auctoritate sua aliis antea suasit.

[2]) *Coeperunt* scil. prolabi.

ecclesiae denegata, projecto extra domum patre, et eodem fame mortuo nec sepulto, uxoris gravidae utero calce percusso partuque ejus effuso, Romam venit. Et cum apud Carthaginem, urgentibus in ecclesia fratribus, dies cognitionis ipsius immineret, et hic latitavit. Nec multo post, Novatianum istum episcopatu Cornelii anxium (nam sibi speraverat) cum aliquantis, ut in tali re solet, ex sua parte fautoribus nutantem impellit, dubitantem fovet, ut magnum aliquid speret, hortatur. Invenit aliquos ex eorum numero, qui tempestatem persecutionis illius evaserunt, apud quos hanc ipsam de lapsis receptis Cornelio conflaret invidiam. Dat eorum epistolas ad Novatianum. Ille ex auctoritate epistolarum, sedente jam Romae episcopo, adversum fas sacerdotii singularis, alterius episcopi sibi nomen assumit: Cornelium lapsis communicasse arguit: se vindicat innocentem. Contra hunc mihi reddenda ratio est, contra hunc asserendus pudor, contra hunc vita purganda?

7. Sed et vos, inquies, episcopi talia cur probatis? Dicat hoc alius: tu Novatianum defende. Inexcusabilis videatur haec ceteris causa, tibi licet grata sit. Tibi innocens sit, quisquis est pro te nocens. Ne accusaveris

alium eo crimine, quo tu non potes liberari. Age, jam totum pudorem nos episcopi debeamus, quia et apostolorum nomen accepimus, quia Christi appellatione signamur. Negantem, inquis, Dominus negat: tu negantem nolo fatearis. Quis eum negantem confitetur? qui ad poenitentiam cogit, objurgat, crimen ostendit, vulnera aperit, supplicia aeterna commemorat, interitu carnis emendat? Hoc castigare est, non fateri [1]). Ait nobis Dominus: *Vos estis sal terrae* (Matth. 5, 13). Recte ergo salimus ista dicendo, nec ad nihilum valebit quisquis audierit. Vides non proculcari a nobis sententiam Domini, sed probari; non abjici severitatem, sed voluntatem ejus aperiri. Sed poenitenti, inquies, peccata dimittis, cum tantum in baptismate tibi liceat relaxare peccatum. Non mihi plane, sed Deo soli, qui et in baptismate donat admissum, et poenitentium lacrymas non repellit. Ceterum quod ego facio, id non meo jure, sed Domini: *Dei sumus adjutores*, inquit, *Dei aedificatio est* (1. Cor. 3, 9). Et iterum: *Ego plantavi, Apollo irrigavit, sed*

---

[1]) *Fateri*, approbare et fovere. Exprobraverant novatiani catholicis, quod recipiendo lapsos licet poenitentes, crimen quasi probarent.

Deus incrementum dedit. Ergo neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat, Deus (Ibid. 6, 7). Quare sive baptizamus, sive ad poenitentiam cogimus, seu veniam poenitentibus relaxamus; Christo id auctore tractamus. Tibi videndum est, an Christus hoc possit, an Christus hoc fecerit [1]).

8. Si poenitentibus remissio peccatorum dari potuit, ais, baptisma non fuit necessarium. Insulsissima comparatio! Baptismus enim, sacramentum est dominicae passionis: poenitentium venia, meritum confitentis [2]). Illud omnes adipisci possunt, quia gratiae Dei donum est, id est, gratuita donatio; labor vero iste paucorum est, qui post casum

---

[1]) Aurea sententia, qua significatur, *mensuram praerogativarum et jurium Ecclesiae esse ipsam potentiam Christi*, ac proinde eos, qui temere coarctant jura Ecclesiae, dubitare propemodum de auctoritate et potestate Christi.

[2]) Quibus non significatur, baptismum operari remissionem peccatorum ex opere *operato*, poenitentiae vero ritum, prout in Ecclesia exercetur, ex opere *operantis* seu ex merito poenitentis; sed tantum plus requiri ex parte poenitentis ad obtinendam remissionem peccatorum per absolutionem, quam per baptismum, quod inculcat ipsum concilum tridentinum sess. 14. cap. 8.

resurgunt, qui post vulnera convalescunt, qui lacrymosis vocibus adjuvantur, qui carnis interitu reviviscunt. Frustra me posuisse asseris illud exemplum, quod Deus dixerit: *Malo poenitentiam peccatoris quam mortem* (Izech. 33, 11). Quid si adjecissem illud Isaiae: *Cum conversus ingemueris, tunc salvaberis et scies ubi fueris* (Isai. 30, 15, sec. 120)? Quid si id Apocalypsis: *Memento unde cecideris, et age poenitentiam, et fac priora opera* (Apoc. 2, 5)? Haec, inquis, gentibus dicta sunt ante baptismum. Audi Apostolum: *Scimus autem, quoniam quaecunque lex dicit, iis qui in lege sunt, dicit et loquitur* (Rom. 3, 19). Ergo eos qui sine lege vixerunt, poenitendi conditio [1]) non te-

---

[1]) *Poenitendi conditio*, qualis scil. requiritur in sacramento poenitentiae et secundum rigorem disciplinae poenitentialis antiquae. Alioquin omnibus non baptizatis adultis est dictum: *Poenitentiam agite et baptizetur unusquisque vestrum in nomine J. Christi in remissionem peccatorum* Act. 2, 38. Quod si Pacianus videtur opinari, judaeos quidem debuisse ante baptismum agere poenitentiam, non vero gentes, minus probanda est ea opinio, si ea denegaretur necessitas cujuscumque poenitentiae ante baptismum pro infidelibus adultis, quae his certissime est agenda. Quare hoc tantum potest accipi sensu, quod judaei, utpote cognitione veri Dei legisque divinae plenius

nebit. Qui et si poenituissent, libera id fide fecerant, non imposito per legem vinculo poenitendi. Ergo et vel judaei, inquies, qui ante baptismum poenituerunt, post baptismum poenitere non possint. Quis hoc te docuit, frater Sympronianel? Quis suasit, ut qui ante poenituerit, postea poenitere non debeat? Sed posterius hoc videbimus. Interim, si judaeis post baptismum praeclusa est poenitentia, quia illam ante persolverint; concede vel gentes quae poenitentiae legem ante nescierint, posterius poenitere debere. Sed et de judaeis, nolo, fallaris. Illi enim propterea prius poenituerunt, quia vetus baptisma corruperant, et quasi post fidem fide prodita poenitebant. Audi Apostolum: *Nolo enim ignorare vos, fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes per mare transierunt, et omnes in Moyse baptizati sunt et in nube et in mari; et omnes eundem cibum spiritalem ederunt, et omnes eundem potum spiritalem biberunt. Bibebant autem de spiritali petra sequente: petra autem erat Christus* (1. Cor. 10, 1-4).

---

imbuti, ad *majorem* poenitentiam obligentur ante baptismum, quam gentes, quae ex ignorantia peccarint.

Hoc ergo baptisma violaverant, et ideo poenitebant.

9. Videamus deinde quid dicas: *Si Deus saepius jubet hominem poenitere*, inquis, *saepius peccare permittit.* Quid ais? Ergo qui saepius remedium criminis monstrat, crimen ostendit? Et medicus ille cum curat, assidue vulnerari docet? Deus nec peccare vult hominem semel, et tamen liberat a peccato. Nec utique cum liberat, peccatum docet; sicut nec qui ab incendio liberat, incendium monstrat; nec qui naufragum eripit scopulis, in saxa compellit. Aliud est de periculo liberari, aliud ad periculum cogi. Et fortasse paterer hoc credi, si poenitentia deliciae putarentur, cujus labor tantus imponitur, cui carnis interitus imperatur, cui juges lacrymae, cui gemitus sempiterni. Volet ergo ille sanatus iterum se secari, rursus exuri? Volet peccare iterum et iterum poenitere, cum scriptum sit: *Noli adjicere peccatum, ne quid tibi deterius contingat* (Joan, 5, 14)? Et adhuc: *Assidue peccanti non misereor* (Eccli. 12, 3). Quod si, ut ais, ad peccatum cogitur, cui poenitentiae medicina monstratur; quid tandem ille facturus est, cui poenitentia ipsa praecluditur; cui desperato remedio totum vulnus operitur; cui prorsus ex

integro vitae aditus denegatur? In baptismo, inquies, semel morimur, sicut ait Apostolus: *An nescitis quoniam quicunque baptizati estis in Christo Jesu, in morte ejus baptizati estis? Consepulti ergo estis ei per baptismum in mortem, ut sicut Christus resurrexit ex mortuis, sic et vos in novitate vitae ambuletis* (Rom. 6, 3-4). Quid mirum? Docebat Apostolus quod essemus novi, ut nemo peccaret: sequebatur tamen ut qui peccaverat, poeniteret. Hic integer, ille curatus viveret: innocens coronam, poenitens veniam subiret: ille praemium, iste medicinam acciperet. Denique idem Apostolus dicit: *Nam si cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est; multo magis justificati nunc in sanguine ejus, salvi erimus per eum ab ira* (Rom. 5, 9-10), ab ira utique, quae peccantibus debebatur. Quod si gentilem populum non passus est mori, multo magis redemptum non patietur exstingui. Nec abjiciet, quos magno redemit; nec enim levis illi est jactura famulorum. Non morietur quidem amplius qui resurgit, ut scriptum est (Rom. 14, 4). Sed ipse est advocatus apud Patrem, sed ipse interpellat pro peccatis nostris, haud despicabilis miserorum patronus parumve idoneus deprecator.

10. Responde, frater, an famulos Dei diabolus possit opprimere, an non possit Christus absolvere? Petri poenitentiam dicis ante Domini passionem fuisse. Hoc tibi nemo proposuit [1]). Et tamen Petrus jam baptizatus erat: huic enim dixerat Dominus: *Qui lotus est semel, non necesse habet iterum lavari* (Joan. 13, 10). Accepit tamen postea remedium Christi, sed ante poenituit; et ante sanctus est habitus, quam ad remedium perveniret. Nec poenitentia ejus in memoriam scriberetur, ni profuisset aliquid poenitenti. *Flevit*, inquit, *amarissime* (Matth. 26, 75). Non vis facere fidelem, quod Petrus fecit? non vis prodesse nobis, quod Petro profuit? Age, Thomas meus nonne post Domini resurrectionem de resurrectione dubitavit? Nonne perfidiae reus notatur a Domino, cum illi clavorum notae, cum perfossae manus, cum lateris vulnus ostenditur, cum sic ad eum ait Dominus: *Noli esse incredulus, sed*

---

[1]) *Hoc tibi nemo proposuit.* Forte, nemo ad factum Petri provocavit, ut suaderet lapsis esse dandam veniam. Ceterum illud non est ineptum, cum Petrus post baptismum receptum peccaverit et *ante sanctus* fuerit. Sicut ergo ipse post baptismum in peccatum lapsus veniam impetravit, poterunt et alii postea lapsi remissionem peccati consequi etc.

fidelis (Joan. 20, 27)? Quid ergo? erubuit poenitere? nonne humiliatus est? nonne Deum et Dominum suum illico confitetur? numquid non illum exomologesis ista commendat?

11. Jam quam argute caput illud absolvis, quod ego posui; datam episcopis potestatem, ut quae ligassent in terra, ligata essent et in coelis. Dicis, hoc non ad fideles, sed ad catechumenos pertinere; ut baptizandis adhuc scilicet populis solvi liceret crimina, vel teneri. Duorum denique evangelistarum capitula conjungis, ut unum esse videantur; et adjicis, quod Matthaeus minus integre prosecutus sit, complesse Joannem; ut quia apud Matthaeum dixerat Dominus: *Ite et docete omnes gentes, baptizantes eas in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (Matth. 28, 19); apud Joannem impleverit dicens: *Si cujus dimiseritis peccata, dimittentur illi; cujus retinueritis, et tenebuntur* (Joan. 20, 23): ut hoc dimittere vel ligare ad gentes quae baptizandae erant, pertinuisse videatur, quia prior evangelista de gentibus praelocutus sit; de solvendo autem et ligando posterior impleverit. Quid ais? evangelistae duo dimidiatos invicem sensus, et semi integros retulerunt? Verba his invicem ratiove

defuerat, aut non in omnibus totum Spiritus sanctus implebat, propositos perferens sensus et ad plenum dicta definiens? Hominis confirmatum testamentum nemo superordinat: Dei tabulam tabula diversa mutabit? Quaenam in vobis haec vincendi cupido est, ut tale aliquid audeatis? Quid quod apud Matthaeum ipsum ante passionem suam dixerat Dominus: *Quaecunque ligaveritis in terra, erunt ligata et in coelo et quaecunque solveritis in terra, erunt soluta et in coelo* (Matth. 16, 19)? Apud Matthaeum hoc praedixerat Dominus, et nullam ibi gentium fecerat mentionem: cur ergo illi capitulum Joannis adjungis, ubi suum posuit, et ita posuit ut a gentibus separaret [1])? quod utique si ad gentes pertinere voluisset, potuit ipse conjungere quod ipse ponebat. Totum ergo quod quaeris, apud Matthaeum habes. Cur non universa legisti, qui episcopum doces? Primum praecepti istius caput repete. Ipso referente Matthaeo, paulo superius ad

---

[1]) *Ut a gentibus separaret,* ita scil. verba enunciavit Matthaeus, ut pateret, cum nullam faceret gentium mentionem, sed potius loqueretur de fratribus et subditis Ecclesiae v. 15. ss. ea vel non ad gentes spectare, vel saltem non exclusive ad illas esse referenda.

Petrum locutus est Dominus; ad unum ideo, ut unitatem fundaret ex uno; mox id ipsum in commune praecipiens [1]), qualiter tamen ad Petrum incipit: *Et ego tibi dico*, inquit, *quia tu es Petrus, et super istam petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferorum non convalescent adversus eam. Et tibi dabo claves regni coelorum: et quaecunque ligaveris super terram, ligata erunt et in coelis; et quaecunque solveris super terram, erunt soluta et in coelis* (Ibid. 18. 19). Dic frater, de solis gentibus hoc locutus est: *Super hanc petram aedificabo*, inquit, *Ecclesiam meam?* Ecclesiam non baptizatas gentes vocat? homo necdum renatus corpus est Christi? Quid solvo gentibus, quod non est ligatum? Nam si non reputatem est, nec ligatum [2]). Quid alligo, quod nullo jure

---

[1]) *Qualiter*. Forte legendum cum Latinio, *aequaliter*, et sic distinguendum: *in commune praecipiens aequaliter, tamen* etc.

[2]) Ostendit Pacianus potestatem *ligandi solvendique* distinctam esse a potestate *baptizandi*, nec exerceri posse in eos, qui nondum sunt baptizati. *Nam si* peccatum infidelis *non reputatum est*, non ita imputatur, ut pro ejus remissione obtinenda satisfactiones ab Ecclesia statutas subire debeat, cum eidem nondum sit obnoxius, *nec ligatum* seu non est ejusmodi, circa quod possit versari potestas solvendi

constringo? Gentilis homo liber est legi. Vide nunc e contrario, an in baptizatum utraque conveniant. Solvitur venia, quia peccato tenebatur; ligatur anathemate, quia solutus fuerat fide et per gratiam liberatus. Quod si ad gentes hanc solvendi licentiam vel ligandi spectasse concedam; multo magis ad baptizatos pertinuisse convincam. Nam si is solvi potuit vel ligari, qui non habuit vinculum, quanto magis ille quem fidei jura tenuerunt?

12. Ais posuisse Matthaeum: *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum solus cum solo* (Matth. 18, 15); ac statim subjunxisse Dominum: *Quaecunque solveris in terra, soluta erunt et in coelis*; ut ad fratris offensam pertinere videatur. Age, non vides quod supra dicit: *Si in te peccaverit frater tuus*? heic vero addit: *Amen dico vobis, quaecunque solveritis in terra* etc. Illud

---

Ecclesiae. *Quid alligo* eum, quem utpote Ecclesiae ejusque legibus nondum subjectum *nullo jure constringo*, ad poenas ab Ecclesia in peccatores statutas subeundas obligare nequeo? Infert autem, quod si tamen potestas ligandi solvendique extendatur ad gentes, *a fortiori* eam exerceri posse in fideles baptizatos. Si enim Ecclesia eos potest ligare et solvere, qui nondum ei sunt subjecti, a fortiori poterit ligare et solvere fideles *subditos*.

uni jussit, hoc pluribus relaxavit [1]): illud ipse solvit in quem admittitur; hoc vero Ecclesia: illud sine sacerdote, sine fratribus; hoc ab omnibus impetratur. *Quaecunque solveritis*, inquit; omnino nihil excipit. *Quaecunque*, inquit: vel magna, vel modica. Attende quod ad Petrum dicat inferius id quod peccatur in hominem, septuagies et septies relaxandum; ut ostendat, alias vel semel [2]) posse. Tamen qui in Petrum peccat, Dominum laedit, sicut ad Samuel ipse significat: *Non te nullius momenti fecerunt, sed me* (1. Reg. 8, 7). Conceditur ergo vel semel Ecclesiae, quod nobis ipsis totiens imperatur.

13. Nunc ad erraticam ovem, drachmam illam et adolescentiorem filium (Luc. 15) revertamur: quae ego exempla cum strictim scripto priore tetigissem, tu plena repetisti,

---

[1]) *Relaxavit*, concessit, dedit: *pluribus* scil. omnibus apostolis concessit jus ligandi solvendique. *Ab omnibus*. Respicit praxim, secundum quam omnes fideles pro publice poenitentibus intercedebant atque ita ad remissionem peccatorum concurrebant, hinc supra dicit, *Ecclesiam* solvere.

[2]) *Alias vel semel*, peccata in Deum saltem semel remitti posse. Quo sensu patres docerent, *unam* esse poenitentiam, saltem pro peccatis gravioribus, fuse explicavimus *opusc.* V, 106. ss. annot.

edocens et ostendens drachmam et ovem et filium minorem ad publicanos et peccatores, hoc est, humilem populum, non ad christianae plebis imaginem, nec ad formam fidelium pertinere. Gratulor me doceri; intellectum vero non esse, moleste fero. Nam quid asseram? *Ea quaecunque lex dicat, his qui sub lege sunt, dicere* (Rom. 3, 19); utique et hoc principaliter ad priores [1]) dictum esse consentio, sed in forma fidelium, sed in imagine futurorum, sicut Apostolus dicit: *Haec autem in figura contingebat illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines seculorum devenerunt* (1. Cor 10, 11); et iterum: *Quae omnia illis umbrae erant futurorum bonorum* (Hebr. 10, 1). Certe ipse annuis, ad publicanos et peccatores, hoc est, humilem populum, et ideo juniorem, illa dictata. Dic ergo: an populus christianus ipse est junior? an in radicem cohaeserit? an illa membra compegerit [2])?

[1]) *Ad priores,* de publicanis et peccatoribus infidelibus esse dictum, ita tamen, ut spectent etiam ad fideles, ad futuros peccatores in Ecclesia.

[2]) *An illa membra compegerit.* Non immerito censet Latinius legendum *in illa membra* etc. Videtur Sympronianus nomine *humilis* populi, *quem Deus drachmae, filio minori et oviculae conferebat,* intelligere gentes, quae a Christo ad fidem cul-

aedificatus, ut scriptum est, *in fundamentis apostolorum et prophetarum, et ipso angulari lapide Christo Jesu* (Ephes. 2, 20). *An judaeorum Deus tantum? Nonne et gentium? Imo et gentium. Siquidem unus Deus, qui justificat impium ex fide et per fidem* (Rom. 3, 29. 30). Certe ille humilis populus, quem Deus drachmae, filio minori et oviculae conferebat, Ecclesia fuit: unde omnis turba credentium, unde populus christianus. Huic corpori nostra etiam membra conjuncta sunt et totae credentium portiones, ut in bonam olivam ex oleastro gentium convenirent, sicut Apostolus dicit: *Participes pinguedinis ejus effectae* (Rom. 11, 17); atque ita *unum omnes essemus in Christo, judaeus et graecus, servus et liber* (Gal. 3, 28). Si ergo cum illis humilibus unum corpus sumus, dicta sunt et ad nos quae veterum humiles audierunt: atque ita omni corpori nunciatum

---

tumque veri Dei vocantur, quaeque junior populus dicuntur comparate ad judaeos, qui erant populus *senior*, cum jam olim ad agnitionem cultumque veri Dei fuerint vocati. Hanc explicationem admittit Pacianus atque infert, cum christiani praesentis temporis in unam radicem cum illis cohaeserint, unum cum illis corpus simus, *dicta sunt et ad nos quea veterum humiles* i. e. humiles olim *audierunt* etc.

est, quidquid de corporis parte praedicatum est.

14. Dicam planius: ille posterior populus, ille pauper, ille mediocris, imago Ecclesiae fuit, anima humilis et modesta, anima liberata per Christum. Hanc venit Dominus salvam facere, hanc apud inferos non reliquit: haec est ovis illa quae humeris reportatur: id est, nisu et vigore patientiae. Haec est drachma, quae quaeritur et vicinis inventa monstratur. Vides formam ejus similitudini poenitentium convenire? Vides misericordiam usque ad hoc tempus extendi? Vides quaecunque Ecclesiae nascenti dicta sunt, ad plenitudinem Ecclesiae pertinere? Inde ibi Dominus adjecit: *Sic erit gaudium in coelo super unum peccatorem poenitentiam agentem, quam super nonaginta novem justos, quibus non fuit opus poenitentia* (Luc. 15, 7). Nam si omnia illa ad commonendos nos scripta sunt; cui tandem populus ille peccator humilis comparabitur, nisi populo poenitenti? Ac si figuris in ordinem recurrentibus, nonaginta novem sanae omnis Ecclesia est; una vero erratica delinquentium portiuncula est: ac drachma quae periit, miser ille peccator est: rediens post mala sua filius, redempto illi similis aestimatur. Jam recte a

me positum vides, cum de poenitentium curatione tractarem, dixisse Dominum: *Non est opus sanis medico, sed mali habentibus* (Matth. 9, 12). Recte et illud: *Beati lugentes, quoniam ipsi consolabuntur* (Matth. 5, 5). Quidquid de publicanis et peccatoribus dictum est, ad aegros omnes et omnes miseros pertinebit.

15. De solis, ais scriptum esse martyribus: *Beati lugentes*. Nemo ergo praeter illos peccata sua plangit? Non David clamat[1]): *Lavabo per singulas noctes lectum meum* (Psal. 6, 7)? et iterum: *Quoniam cinerem sicut panem edi; et potum meum cum fletu miscebam* (Psal. 101, 10)? Non Jacob dicit: *Anni vitae meae durissimi* (Psal. 47, 9)? Non Apostolus ad Timotheum: *Desiderans te videre, memor lacrymarum tuarum* (2. Tim. 1, 4)? Nec tamen hoc de martyre loquebatur. Quid nunc? Miseri poenitentes siccos habent oculos? Et qui peccasse se dolent, flere non norunt? Ipsi communicantes, ipsi fideles, lacrymas non habemus? Quempiam nostrum, gaudente mundo, gaudere delectat? Vos novatiani, *jam satiati*

---

[1]) *Non* i. e. nonne. Ita etiam saepius infra.

estis, divites facti estis, sine nobis regnare coepistis (1. Cor. 4, 8). Non ergo quisque [1]) miserabilis est, ita incipit esse miserandus. Post haec proponis, et dicis scriptum esse per Dominum: *Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus; qui autem in Spiritum sanctum peccaverit, non dimittetur ei neque hic, neque in futuro* (Matth. 12, 31. 32). Aut ego fallor, aut istud exemplum contra te valet. Nam si omne peccatum et blasphemia relaxabitur, vides veniam poenitentibus non negari. Ergo omne peccatum, ergo ipsa quoque blasphemia. Habes additum secundum Lucam: *Et in Filium hominis peccaverit remittetur ei* (Luc. 12, 10). Quid hoc amplius de misericordia Dei, de clementia judicantis? An non invidet oculus tuus, quia bonus est paterfamilias (Matth. 20, 15)? Non licet illi facere, quod vult? Quin imo, *tu qui es qui judicas servum? Domino suo stat, aut cadit: Potens est autem Deus statuere illum* (Rom. 14, 4). *Sed qui in Spiritu sancto blasphemaverit*, ais, *non remittetur ei* (Matth. 12, 32). Soles

---

[1]) *Non ergo quisque* supple *ut*, non ergo ut quisque. Peccator non eo ipso quod miserabilis sit, dignus est miseratione, nisi de peccato suo egerit poenitentiam.

totas percurrere lectiones: cur hic non legisti, quid sit istud: *In Spiritu?* Habes supra scriptum, cum Dominus daemonia verbo fugaret, et virtutes multas speciali vigore compleret, dixisse pharisaeos: *Hic non expellit daemonia nisi in Beelzebub principe daemoniorum* (Ibid. 24): hoc est, in Spiritum sanctum deliquisse, in ea blasphemasse, quae per sanctum Spiritum gerebantur. In ceteris quippe peccatis aut errore labimur, aut metu frangimur, aut carnis infirmitate superamur. Haec coecitas est non videre quod videas, et sancti Spiritus opera diabolo deputare, eamque gloriam Domini qua diabolus ipse superatur, diaboli appellare virtutem. Hoc est ergo quod non dimittetur: reliqua bonis poenitentibus, frater Sympronianc, donantur [1]).

16. Posthaec de sarmentis et vite proponis sic: Ait Dominus apud Joannem: *Ego*

---

[1]) Cf. quae *de peccato in Spiritum* s. annotavimus *opusc.* V, 76. ss. quibus haec illustrantur. Efficax autem est illatio Paciani. Quomodocumque enim intelligantur verba Christi de blasphemia in Spiritum s., et etiamsi quis tueretur hoc peccatum esse prorsus irremissibile, semper tamen sequeretur, novatianorum praxim adversari doctrinae Christi, cum ipsi *omni* peccato gravi vel saltem *pluribus* gravioribus denegaverint veniam.

sum vitis vera, et Pater meus agricultor est. Omne sarmentum in me, quod non affert fructum, tollet illud; et omne fructiferum purgabit illud (Joan. 15, 1). Vides igitur in sarmentis fructum requiri, id est bona opera poenitentiae, sicut Joannes ait: *Facite ergo fructum dignum poenitentiae* (Matth. 3, 8). Vides sarmenta purgari, quae sunt detrimenta carnis [1]), damna laetitiae, damna patrimonii, vitae labores; qui actus proprie poenitentium sunt. Vides etiam agriculturam Domini, qui ipsa etiam sarmenta non perdat, sed purget et colligat, aliqua plane in ignem [2]), aliqua novellandis pastinandisque vineis. Eli sacerdos, ais, loquitur et dicit: *Si vir in virum peccaverit, orabunt pro eo; si autem in Deum peccaverit quis orabit pro eo* (1. Reg. 2, 25)? Joannes itidem: *Si quis scit peccare fratrem suum peccatum non utique ad mortem, postulabit pro eo, et dabit illi vitam Deus. Est autem peccatum quod ad mortem ducit, non pro illo dico ut depreceris* (1. Joan. 5, 16). Vi-

---

[1]) *Quae sunt detrimenta carnis*, clarius, per detrimenta carnis etc.

[2]) *In ignem* forte idem ac *per ignem* scil. tribulationem purganda.

des hoc totum ad peccata manentia pertinere, non ad eos qui aliquando peccaverint, et coeperint poenitere, ante quam quisquam pro illis roget. Longum est, ut exempla replicemus. Attende universa peccata, quibus Dominus comminatur: jam videbis esse praesentia [1]). Quod si non proderit justo in tempore iniquitatis suae praeterita justitia; non oberit impio in tempore justitiae suae iniquitas derelicta (Ezech. 18, 24), cum scriptum sit: *Relinquat impius vias suas, et vir facinorosus cogitationes suas; et convertatur ad Deum et misericordiam consequetur* (Isa. 55, 7). Quod si Deus etiam peccata praeterita punivit, deque transactis et praetermissis poenam suppliciumque constituit; age, non habet in sua potestate mutare sententiam? Non Rahab, non Nabuchodonosor regem, non gabaonitas, non ninivitas, non Segor a praedicto interitu liberavit? Non per ipsum Joel vates haec intulit: *Convertimini ad Dominum Deum vestrum, simulque jejunio et fletu et planctu; quia misericors est, patiens et longanimus, et multae mise-*

---

[3]) *Praesentia.* Deus damnat peccata actu vel affectu praesentia, non ea quae poenitentia sincera retractantur ac propterea jam sunt praeterita, neque actu iterantur, neque affectu retinentur.

rationis, et poenitens in malitiis. Et quis scit si reversus poenitebitur, et relinquet post se benedictionem (Joel. 2, 12-14)? Quare sicubi constitutam peccantibus poenam probaveris, hoc tenebis, aut peccatis perseverantibus constitutam, aut libertatem Deo relictam mutandae, si poeniteas, ad meliora sententiae.

17. Ais adhuc scriptum: *Quod si manus tua vel pes tuus scandalizaverit te, abjice eum abs te* (Matth. 5, 29). Quid sit hoc Moyses, Deuteronomio testificante, praedixit: *Si autem precatus fuerit te frater tuus* (hi sunt enim oculi et manus nostrae) *aut filia tua, aut uxor tua, quae est in sinu tuo, aut aequalis animae tuae, dicens: Eamus et serviamus diis quos non noveras* (Deut. 13, 6). Deinde adjecit inferius: *Deferes eum, et manus tua erit super ipsum ad occidendum eum.* Vides ergo, non de poenitentibus dictum, sed de his, qui non solum ipsi in facinore perseverant, verum etiam nos scandalizare non desinunt. Hi quamlibet cari sint, relinquendi: quamlibet utiles deserendi sunt. Proponis adhuc dixisse apostolum Paulum: *Auferte malum ex vobis ipsis* (1. Cor. 5, 13): malum utique perseverans. Ceterum, poenitentia malum non est, cum David di-

cat: *Bonum est exomologesim facere Deo* (Psal. 111, 2). Nec tamen mecum est ille, quem poenitet, nec parte sanctorum, nec pace conjungitur [1]). Sed dicit Apostolus: *Si quis frater nominatur, et sit aut fornicator, aut simulacris serviens, aut avarus, aut maledicus, aut ebrius, aut rapax, cum ejusmodi nec cibum sumere* (1. Cor. 5, 11). Vides non sine causa esse positum, *et sit*, id est, qui necdum poeniteat, qui necdum improbus esse desierit. Et certe de avaris, et ebriosis et maledicis simul dictum est. Responde, frater, an nullus ejusmodi vestra pace teneatur. Ergo inde est, et quod per Esaiam Deus clamat: *Simul iniqui et peccatores peribunt* (Isa. 1, 28); non poenitentes, non misericordiae opera procurantes, quibus apud eundem rursus Esaiam Deus dicit: *Et si fuerint peccata vestra ut phaenicium, ut nivem dealbabo: et si ut coccum, ut lanam candidam ea efficiam* (Ibid. 18).

---

[1]) Qui publicam agebant poenitentiam cuidam excommunicationi erant obnoxii, neque enim interesse poterant synaxi fidelium seu celebrationi missae atque a sacra communione diu arcebantur. Ideo ait Pacianus peccatores poenitentes *nec parte sanctorum* i. e. sacrificii et eucharistiae, *nec pace*, qua in omnium bonorum socitatis ecclesiasticae participationem reciperentur, fidelibus conjungi.

18. Attamen, ut ais, Apostolus condemavit errantem. Nam ad Corinthios prima ita dicit: *Ipse ego quidem absens corpore, praesens autem spiritu, jam judicavi eum qui tale facinus admisit: in nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis omnibus in virtute Dei, tradere ejusmodi satanae, in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini* (1. Cor. 5, 3-5). Nota, frater, primum, quod non damnat eos cum quibus iste communicat: solus ipse qui tale facinus admiserat, satanae traditur, solus excluditur, salva pace sanctorum. Vos omnes ecclesias pro uno peccatore damnatis [1]? Deinde vides, quod hic ipse peccator incestus non morti traditur, sed satanae, ad emendandum, ad colaphizandum, ad poenitendum. Denique ait, *ad interitum carnis*, non tamen animae, non etiam spiritus: sed ad solius carnis interitum, tentationes scilicet, carnis angustias, detrimenta membrorum, sicut alibi de intemperantibus dicit: *Tribulationem autem carnis patientur ejusmodi* (1. Cor. 7, 28). Vis hoc scire? in secunda Co-

---

[1]) *Pro uno peccatore damnatis* docentes eos, qui communione junguntur peccatoribus, eo ipso maculari, fieri immundos et ab Ecclesia alienos.

rinthiorum hunc ipsum impium idem Paulus absolvit. Nam de ipso ait: *Sufficit illi qui ejusmodi est, objurgatio ea quae fit a pluribus; ut e contrario magis donetis et consolemini, ne forte majore tristitia absorbeatur, qui ejusmodi est. Propter quod obsecro vos, ut constituatis in eum caritatem* (2. Cor. 2, 6-8). Item infra: *Si cui autem aliquid donastis, et ego: nam et ego quod donavi, propter vos in persona Christi, ut non possideatur a satana* (Ibid. 10). Vides Apostoli indulgentiam, proprias etiam sententias temperantem? Vides mitissimam lenitatem longe a vestro supercilio separatam? longe a novatiani fronte dissimilem, communi vero vitae ac saluti omnium consulentem?

19. At etiam in nos severus censor inveheris. Dicis, ex lege coelesti unum ex mandatis solvere non licere, nec communicare lupis agnos, et quod omnis consensus in crimine sit; et ideo *qui picem tetigerit, inquinatur* (Eccli. 13, 1); *nec sit ulla societas luci ad tenebras, aut templo Dei cum idolis, aut conventio Christi ad Belial* (2. Cor. 6, 14. 15). Ideoque David dicit: *Furem videbas, et currebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas* (Psal. 49, 18).

Ais tandem, quia nos Domini mandata rescindimus. Nos unum apicem legis inflectimus, an potius novatiani, qui tota Ecclesiae, tota concordiae jura violarunt, qui post tot pacis annos, tot foedera sanctitatis, novas sibi leges, nova instituta, novos ritus pepererunt, arcanum justitiae inexorabili fronte simulantes? Nos in Ecclesiam lupos recepimus, qui haereticorum ora vitamus, an potius novatiani, qui cum ipsi sint rapaces lupi, paulo miseriores oviculas reformidant? Nos consentimus malis, nos picem tangimus, nos tenebris cohaeremus, nos idolo et Belial jungimur, an illi qui Evaristum, qui Nicostratum receperunt ceterosque ab Ecclesia recedentes, lingua, manu, moribus inquinatos? Nos cum adulteris et furibus convenimus, an illi, qui Novatum vitae suae et capiti praetulerunt post interceptam pecuniam pupillorum atque viduarum, miseri parentis et partus uxoris parricidam, non modo non poenitentem, verum etiam gloriantem? Verum Paulus Apostolus dixit: *Manus cito nemini imponas* (1. Tim. 5, 21); docet idem vel tarde, vel post poenitentiam non negandas.

20. Sed perdita Hiericho, Achar filius Charmi propter furtum vestis occisus est (Jos. 10, 7); vos totos fures interficite pe-

cuniarum nostrarum atque librorum, et in Novati ossa saevite[1]). Jugum illud rursus accipite, *quod neque nos*, *neque patres nostri portare potuerunt* (Act. 15, 10). Quid cessatis, novatiani, *oculum pro oculo, dentem pro dente* (Deut. 19, 21) deposcere, animam postulare, circumcisionis et sabbati redintegrare commercium? Necate fures, lapidate petulantes. Nolite in Evangelio legere quod pepercerit Dominus etiam adulterae confitenti (Joan. 8, 11), quam nemo damnarat: quod peccatricem, quae lacrymis pedes ejus lavabat, absolverit: quod Rahab apud ipsam Hiericho urbem phoenicum liberaverit: quod Thamarem a sententia patriarchae absolverit: quod, Sodomis quoque pereuntibus, Loti filias non exstinxerit, liberaturus et generos, si

---

[1]) Praeclara responsio. Novatiani ut suam haeresim de lapsis non recipiendis tuerentur, provocabant ad factum Achan, qui morte punitus fuit propter furtum: hinc enim inferebant, peccata gravia esse inexpiabilia. Verum acute respondet Pacianus, novatianos, si sibi constare velint, debere fures, qui inter ipsos quoque reperiuntur, interficere; saevire in ossa Novati tot scelerum rei (cf. n. praeced.), quem tamen tanti faciebant, atque generatim observare universam legem mosaicam, cum adeo urgerent hanc Achani punitionem secundum rigorem legis mosaicae factam etc.

futurum excidium credidissent. Age, non tenes dicere apud David Dominum: *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus* (Psal. 119, 7)? Salomonis quoque sententiam non tacere: *frater fratrem adjuvans, exaltabitur* (Prov. 18, 9)? Quid Apostolus? *Fratres, et si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto; vos qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu mansuetudinis, considerantes vosmetipsos ne tentemini. Invicem onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi* (Gal. 6, 1. 2). Et illud quod ante jam retuli: *Opto enim anathema esse in Christo pro fratribus meis cognatis secundum carnem* (Rom. 9, 3); et iterum: *Omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrifacerem* (1. Cor. 9, 22): hoc est, cum vulneratis gemitus, cum aegrotantibus laborem, mortem cum moriente partiri, casum fratrum cum statu suo posse miscere, aliquid de sua sanitate decidere, et deficientibus adhibere medicinam.

21. Quid vobis prodest superba et aspera fronte durari, altis regere cervicibus, vultus torquere a miseris, auditus oculosque praecludere? Numquam (vos oro) cecidistis? Nulla in vestris mentibus macula est? Nulla in oculis (oro) festuca? *Quis gloriabitur ca-*

stum se habere cor, aut mundum se esse a peccatis (Prov. 20, 9. sec. LXX)? Credo: vos justi, benevoli, temperantes, quibus membraomnia sana sunt, quibus omne corpus intactum, quibus medicus necessarius non est, nec medicina languorum. Intrate jam coelum; paradisi aditus, romphaea cedente, penetrate; tot nostrorum populis, Deum unicum confitentibus, dona vestra praecludite. Quae si se longe aliter habent quam implacabilis immanitas rigor rerum [1]) et immanitas vestra mentitur; jam intelligitis, novatiani, Deum posse misereri; jam miseris fratribus de praeterito confitentibus, vel seram patere medicinam; jam vulneratum illum a levita et sacerdote praeteritum, per Christum posse curari; jam Ecclesiae preces humilibus non negandas; jam manus sacerdotum miserandis fratribus exhibendas. Nos autem intelligimus, ut exprobras, Ecclesiam Dei, columbam non felle amaram, non unguium laceratione violentam, parvulis quoque plumis exiguisque. Scimus etiam puteum aquae vivae fontemque signa-

---

[1]) *Rigor rerum.* Lectio evidenter mendosa. Quomodo vero legendum sit, difficile est dictu. Forte *rigor vester* seu vestrum.

tum nulla haeretici gurgitis labe sordere, hortumque conclusum plenum oleribus magnis pariter et parvulis, vilibus atque pretiosis. Octo quoque animas ex arca, sed inter quas et Cham fuerit; et millia illa volucrum atque ferarum bina atque septena, munda pariter et immunda; fontes vero siccos et nebulas turbinibus excitatas haereticorum sterilitatem et insanarum vocum impetus arbitramur. Nec promittimus libertatem, cum ipsi servi simus poenae; sed crimina nostra confessi reliquos etiam ut fateantur hortamur, credantque in eum, *qui justificat impium ex fide* (Rom. 3, 26), *qui reflectit sententiam, adversus malitiam irrogatam* (Joel. 2, 13. sec. LXX). Attendimus quoque a falsis prophetis et lupis rapacibus, cum cavemus a vobis (Matth. 7, 15). Jannem vero et Mambrem sic restitisse Moysi, sicut vos catholicis, arbitramur. Inde sic ponit Apostolus: *Quia sicut Jannes et Mambres restiterunt Moysi, ita et hi resistunt veritati: homines mente corrupti et a Deo reprobi; sed ultra non proficient: insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut illorum fuit* (2. Tim. 3, 8. 9). Quod in vos dictum esse manifestum est, qui neque proficere amplius, neque insipientiam vestram celare potuistis.

22. *Qui baptizatur a mortuo, nihil proficit* (Eccli. 34, 30), utique qui haeretico fonte dilutus, sic et qui peccatoris oleo ungitur, id est, qui spiritu satiatur immundo. Ergo et filii sanguinum vos eritis. Non enim pacem fratrum, sed sanguinem concupiscitis. Fides falsa est vestra credulitas. Adultera mulier, haeretica congregatio est: Catholica enim ab initio de viri sui thoro et thalamo non recessit, nec alienos amatores aut extraneos concupivit. Vos exsulem formam novo colore pinxistis; vos thorum vestrum a conjugio separastis antiquo; vos a matris unicubae corpore recessistis, novo placendi genere, novis corruptelarum illecebris expoliti. Nam quod Cyprianum beatissimum mihi pro contrario teste proponis, quia in epistola quae *de Lapsis* est, Moysen et Danielem et Job orasse pro peccatoribus dicat, nec impetrasse, dicente Domino: *Et si tres in medio eorum fuerint Noe, Job et Daniel, non liberabunt filios neque filias, sed ipsi soli salvi erunt* (Ezech. 14, 20): utinam, utinam Cypriano teste nitaris, utinam tam salubribus sententiis acquiescas. Ille enim, cum lapsos ad poenitentiam cogeret, qui poenitere nolebant, dicentes a confessoribus sive martyribus accepisse se pacem, docuit et ostendit, quod

nec patriarchae illi pro non poenitentibus impetrarent. Etenim quis liberare possit invitum? quis pro superbis humiliari? quis pro non poenitentibus impetrare? Quod utique cum diceret, ad poenitentiae cogebat remedia. Nec contra se locutus est aliquid vir illius gravitatis et meriti, sed fundendas a peccatoribus preces docuit, et exomologesim didigendam. Ipsa tamen Cypriani exempla te permovent, quibus et Moysen et ceteros sanctos non impetrasse commemorat, qui pro peccatoribus postulabant.

23. Ain? Non vides Moysen pro quibus non impetraverit? Reversus ad populum, quid audit in castris? Voces ebriorum et cantus idolothyti personabant. Adhuc perseverabat in nequitia populus, adhuc in ipso crimine permanebat, ac poenitere non noverat. Attamen quis tibi nostrum dixit, quod Moyses non impetraverit? Dixerat quidem illi Deus: *Deliquit ante me, delebo eum de libro* (Exod. 32, 33). Dixerat tamen auctoritate judicis et Domini potestate; sed vide quam cito reflexerit sententiam adversus populi malitiam irrogatam. Ausculta. Propheta statim ibidem: *Et precatus est*, inquit, *Moyses in conspectu Domini Dei sui: Quare, Domine, irasceris ita in populum tuum?*

et reliqua (Ibid. 21). Item infra: *Et propitius factus est Dominus de malignitate quam dixerat facere populo suo* (Ibid. 14). Vides lenitam esse iram Dei? Vides offensam esse placatam? Et pro populo non rogavit [1]) nec quod fecerat poenitenti?

24. Sed Noe, inquis, et Daniel et Job filios et filias liberare non potuerunt. Et hoc tale est, si pro non rogantibus petant, si pro perseveranti in crimine deprecentur; si non singulos, si non paucos, sed millia multa defendant. Ceterum Noe domum suam a ruina publica liberavit; et Job recepit cuncta quae perdidit; et Daniel instantem illum sapientibus Babyloniae gladium oratione decussit. Lot certe pro salute oppidi, Paulus pro vectoribus navis orat. Sic absolvuntur a justis, qui poenitere noverunt. Postremo vel illud aspicio quod scriptum ait: *Ipsi soli salvi erunt* (Ezech. 14, 20). Qui illi? Ipsi utique, qui pro peccatoribus deprecantur, impune pro talibus postulabunt. Et cur Ecclesiam damnas? cur pro poenitentibus prohibes deprecari; si etiam pro his petere licet, pro

---

[1]) *Non rogavit* i. e. nonne rogavit licet populus poenitentiam non egerit? Saepe enim Pacianus *non* pro *nonne?* adhibet. Cf. ex. gr. n. 16.

quibus non licet impetrare? Lege igitur diligentius Cyprianum meum, lege totam *de Lapsis* epistolam: lege aliam, quam ad Antonianum dedit, ubi exemplis omnibus Novatianus urgetur: jam scies quid de poenitentium curatione pronuntiet. Cyprianum loquor, vestra oppugnantem et catholica jura retinentem. Tertullianum post haeresim (nam multa inde sumpsistis) ipsum epistola sua[1], et ea ipsa quam catholicus edidit, audies confitentem, posse Ecclesiam peccata dimittere.

25. Vides ergo Ecclesiam esse reginam *in veste aurata et variegata* (Psal. 44, 10), multorum utique corporum multorumque populorum varietate compositam. Non est coloris unius ista pictura, nec in uno habitu emicat tanta diversitas. Pars illa indumenti tegit, ista componit. Nonnulla pectori adhaeret, aliqua ultimo sinu trahitur, et inter vestigia ipsa sordescit. Quaedam purpurae martyrum comparatur; aliqua serico virginali; nonnulla, sinu plicante, subsuitur, aut acu inserente reparatur. *Alius enim sic, alius autem sic* (1. Cor. 7, 7); et tamen una in omnibus regina componitur. Ergo eadem fe-

---

[1]) *Epistola sua* scil. in l. *de pudicitia*, quem post lapsum in montanistarum haeresim edidit, et in l. *de poenitentia* (*opusc.* t. V.), quem adhuc catholicus scripsit.

cunda vitis et locuples, plures habens ramos, multo palmitum crine distentior; nihil ne ex istis hiberno frigore laboravit? nihil asperas grandines pertulit? nihil torridas incusavit aestates? Asperior est haec gemma palmitibus, ista fortior, illa sincerior; haec se diffundit in fructus, haec in solas exuberat frondes. Vitis tamen ubique formosa. Mater haec *adolescentularum, quarum non est numerus* (Cant. 6, 7). Calculare denique si potes catholicos greges, et duc in digitos nostrae plebis examina. Nec illa modo, quae toto orbe diffusa sunt cunctis plena regionibus, sed haec, frater Semproniane, quae tecum in proximis finibus et vicina urbe consistunt. Contemplare, quot nostros unus aspicias, quot meorum populis solus occurras. Nonne ut stillicidia fontibus magnis [1]? nonne ut ab oceano quaedam gutta sorberis? Dic, dic an istae adolescentulae ex vestra plebe generentur, an tu solus has parias. Nostra est, inquam, ista regina *electa matri suae atque perfecta* (Ibid. 8). Nihil quippe electum, nisi

---

[1]) *Ut stillicidia fontibus magnis.* Tu tuaque secta comparatione facta cum Ecclesia catholica guttae instar est ad fontem magnum. Infra: *Nihil quippe electum* est diciturque *nisi melius et majus* sit *ex alio*, prae alio, quam aliud.

melius et majus ex alio; nihil perfectum potest esse nisi plenum.

26. Jam et illud attendite, an haec potissimum aedificata sit *in fundamentis prophetarum et apostolorum ex ipso angulari lapide Jesu Christo* (Ephes. 2, 20). Si ante te coepit, si ante te credidit, si a fundamentis prioribus non recessit, si non illa migravit, si non a reliquo corpore separata suos sibi magistros et propria instrumenta constituit, si quid insolitum argumentata est, si quid novi juris invenit, si corpori suo repudium pacis indixit: plane tunc a Christo recessisse videatur, tunc extra prophetas et apostolos constitisse [1]). Haec igitur erit domus magna, locuples omnium diversitate vasorum, in qua purum refulget *aurum*, in qua ductile lucet *argentum*; verum, quae *etiam lignea*, sicut scriptum est (2. Tim. 2, 20), *et fictilia vasa* dignatur. Magna enim domus multos movet usus, opera diversa sollicitat. Non solum quaerit argentum, nec aureo tantum delectatur ornatu. Subinde plus decet magna contemptus [2]); et inter nobiles am-

---

[1]) Notentur haec indicia defectionis a vera Ecclesia, quae cuilibet sectae, etiam iis, quae sec. XVI. ortae sunt, applicari possunt.

[2]) *Decet magna contemptus.* Prodest subinde

bitus, exigua quoque jucunda sunt. Nullus artifex opera sua despicit, nec vilia sibi putat esse quae fecit. Et unde pro peccatoribus passum putas Christum, nisi quod perdere noluit quidquid ipse formavit? Unde illum putas hodieque interpellare pro miseris, nisi quod modicum eumque et despectissimum non repellit? neminem, ex his quos acceperit, perditurus, ligneo licet ac fictili comparentur, atque ita in domo sua omnia vasa componit.

27. Tandem, frater Semproniane, non pigeat esse cum multis; tandem libeat reduvias [1]) novatianorum et praesegmina vestra contemnere, tandem catholicos greges et tam late patentes Ecclesiae populos intueri. Ubi unus, inquies, ibi et ego [2]); et ubi duo ibi

---

magnis, ut eorum magnitudo magis in oculos incurrat et appareat, si adsint contemptibilia, quibus comparentur.

[1]) *Reduvias*, reliquias exiguas, fragmenta.

[2]) *Ubi unus, ibi et ego.* Sensus videtur: ubi unitas, ibi et ego volo esse; *ubi duo, ibi Ecclesia.* Approbat haec Pacianus, dummodo illa unitas sit *concors*, illi duo inter se *pace* fruantur. Advertit tamen, inde non sequi, Ecclesiam in paucis consistere, ut videtur inferre Sympronianus, cum tam clare in divinis literis Ecclesiae per orbem diffusio sit praedicta.

Ecclesia: ubi unus tamen concors; ubi duo pacifici. Ubi unus et Ecclesia; quanto magis ubi plures? *Meliores*, inquit, *duo quam unus: et spartum triplex non rumpitur* (Eccl. 4, 12). Audi David: *Psallam nomini tuo in ecclesia multa* (Psal. 34, 18); et iterum: *In populo gravi laudabo te* (Ibid.); et: *Deus deorum locutus est, et vocavit terram ab ortu solis usque ad occasum* (Psal. 49, 1) Quid semen Abrahae secundum stellarum modos et numeros arenarum vestra paupertate contentum? *Benedicentur in te*, inquit, *omnes tribus terrae* (Gen. 22, 18). Dic: Novatianus has impleat? Non tam parum sanguine suo redemit Deus, nec tam pauper est Christus. Cognosce jam, frater, Ecclesiam Dei dilatantem tabernacula sua, et aulaeorum dextra sinistraque figentem: intellige *ab ortu solis usque ad occasum laudabile nomen Domini* (Psal. 112, 3). Vide, vide, quaeso, novatianis in verba luctantibus, catholicas agi toto orbe divitias. Super omnibus quibus a te sum consultus, instruxi. Nullum ex propositis caput sententiamve praeterii. Ad ipsos apices et verba respondi Si consulentis animo requisisti, amanter ostensum est; si lacessentis, haud segniter disputatum. Subjungam, cum vacuum erit,

et aliam epistolam, in qua non vestra redarguam, sed nostra proponam: quam, si benigne et sine fastidio legeris, fortasse non laedet. Interim in ista, peto, ut singula quaeque percenseas. Omnia cito lecta praetereunt: si charismata meliora desideras, et bonae eruditionis animam geris, non facile tam vera contemnis. Dominus te in aeternum custodire et protegere dignetur, et christianum vivere faciat ad concordiam spiritualem.

SANCTI PACIANI
PARAENESIS,
SIVE
EXHORTATORIUS LIBELLUS
AD
POENITENTIAM [1]).

1. Etsi aliquoties, tumultuose licet, de poenitentium curatione non tacui; memor tamen dominicae sollicitudinis, quae propter unius oviculae detrimentum cervicibus etiam suis

---

1) „In hoc brevi tractatu, postquam praemonuit s. praesul, totius Ecclesiae disciplinam pendere ex poenitentiae publicae instituto, docet, minoribus peccatis in N. T. varia data esse remedia, peccatis tamen gravissimis, abnegationi fidei, homicidio et adulterio poenitentiam publicam merito destinari n. 1—5; tum peccata sua confiteri erubescentes et sacrilege communicantes de sceleris admissi magnitudine gravissimis verbis admonet n. 6—8; confessos denique instruit, qua ratione veram Deoque placitam poenitentiam agere possint ac debeant n. 9—12.“ Ita Fessler *institut. patrol.* t. 2. §. 254.

et humeris non pepercit, integrato gregi referens peccatricem delicatam: conabor, ut potero, tantae virtutis exemplum etiam stylo condere, ac dominici laboris industriam, mediocritate (qua dignum est) servus imitabor. Unum illud vereor, dilectissimi, ne solitae contrarietatis adversis, inculcando quae fiunt, admoneam magis peccata quam reprimam: meliusque fuerit, attici Solonis exemplo, tacere de magnis sceleribus, quam cavere; eo usque progressis nostratium moribus, ut admonitos se existiment cum vetantur. Hoc enim, puto, proxime Cervulus ille [1]) profecit, ut eo diligentior fieret, quo impressius nota-

---

[1]) Respicit librum suum *Cervus* inscriptum, quem Hieronymus *de viris illustr. c.* 106. inter varia Paciani opuscula primo loco recenset, qui tamen jamdiu interiit. In eo videtur ludos profanos exagitasse, qui apud ethnicos solebant calendis Januarii agi et etiam ad christianos transierant, in quibus homines liberioris ingenii belluarum et vetularum formis assumptis huc illuc discursabant et petulantius sese gerebant. Vocabantur hi ludi *cervula, cervulus.* Conqueritur autem s. praesul, quod ejusmodi reprehensiones et insectationes vitiorum effectum contrarium sortiantur. Non enim deterrentur mali, sed propter nisum omnibus insitum in vetitum innocentes malum docentur. Ideo timet disserere de poenitentia pro peccatis agenda, ne innocentibus occasio praebeatur custodiendi minus sollicite innocentiam suam.

batur. Et tota illa reprehensio dedecoris expressi ac saepe repetiti, non compressisse videatur, sed erudisse luxuriam. Me miserum! Quid ego facinoris admisi? Puto, nescierant cervulum facere, nisi illis reprehendendo monstrassem. Verum sit illud. Dei refugae aut extra Ecclesiam constituti, etiam exasperati sunt castigationis injuria; indignati scilicet, mores suos ab aliquo posse reprehendi. Atque ut coenum solet tum maxime foetere, cum moveas; et incendium tum magis ardere, si vertas; et rabies tum vehementius saevire, si provoces: ita illi objurgationis necessariae stimulos contrario calce fregerunt, non sine suo quidem malo et vulnere repugnantes.

2. Vos tamen, dilectissimi, a Domino mementote positum: *Argue sapientem, et amabit te: atque stultum, et odio te habebit* (Prov. 9, 8). Et iterum: *Ego, quos diligo, redarguo et castigo* (Apoc. 3, 19). Atque ideo blandam hujus mei operis ac sollicitam diligentiam, et secundum Domini voluntatem a me ipso fratre vestro ac sacerdote susceptam, amorem potius credite quam rigorem, sequendo amabiliter, non pertinaciter repugnando. Praeterea nullus existimet hunc ipsum de Poenitentiae institutione sermonem solis tantummodo poenitentibus ordinatum;

ne propter hoc quisquis extra hunc gradum positus est, ea quaecunque dicentur, velut in alios destinata fastidiat, cum in hanc quasi fibulam totius Ecclesiae disciplina notetur [1]), quando et catechumenis, ne in hoc transeant, et fidelibus, ne in hoc redeant, providendum sit; ipsis vero poenitentibus, ut celeriter ad hujus operis fructum perveniant, laborandum. Sermonum tamen meorum hic ordo servabitur. Primum ut de modo criminum edisseram, ne quis existimet omnibus omnino peccatis summum discrimen impositum. Tum de his fidelibus dicam, qui remedium suum erubescentes male verecundi sint, et inquinato corpore ac polluta mente communicant: in conspectu hominum timidissimi, ante Dominum vero impudentissimi, profanis manibus et polluto ore contaminant sanctis quoque et angelis altare metuendum. Tertio, de his erit sermo, qui confessis bene apertisque criminibus remedia poenitentiae actusque

---

[1]) *Disciplina notetur.* Totius Ecclesiae disciplina poenitentialis hoc unum intendit, hunc scopum praefixum habet, ne catechumeni unquam in poenitentium ordinem transire vel fideles in eum redire debeant, et ut ipsi poenitentes celerius pro peccatis suis satisfaciant.

ipsos exomologesis administrandae [1]) aut nesciunt aut recusant. Postremo illud apertissimum enitemur ostendere, quae poena sit aut non agentibus poenitentiam, aut etiam negligentibus, atque ideo in vulnere suo ac tumore morientibus: quae rursus sit corona, quod praemium, conscientiae maculas recta et ordinaria confessione purgantibus.

3. Primum igitur, ut diximus, de modo peccantium retractemus, sedulo requirentes quae sint peccata, quae crimina: ne quis existimet, propter innumera delicta, quorum fraudibus nullus immunis est, me omne hominum genus indiscreta poenitendi lege constringere. Apud Mosen et veteres, minimi quoque peccati et quadrantis unius (ut ita dixerim) rei in eodem infelicitatis aestuario

---

[1]) *Exomologesis administrandae.* Exomologesis nomine hic non designatur ipsa peccati confessio, quam antea tam clare expressit, sed totus poenitentiae publicae ritus et ordo, qui confessionem sequebatur et qui pro ratione peccatorum, quae reus confitebatur, definiebatur, secundum illa Tertulliani *de poenitentia* n. 9. „satisfactio confessione disponitur, confessione poenitentia nascitur, poenitentia Deus mitigatur.“ Cf. ibidem exomologesis descriptionem, ex qua liquet, eam fuisse ritum disciplinamque poenitentiae publicae peragendae; quod etiam colligitur ex auctoris nostri verbis.

volutati sunt. Et qui sabbata violaverant, et qui immunda contigerant, et qui escarum vetita praesumpserant, et qui murmurabant, et qui pariete corrupto, et qui veste maculata in templum summi Regis intraverant, et qui altaria his obnoxii manu contrectaverant aut veste contigerant, ut in coelum ascendere citius fuerit, aut emori satius quam haec universa servare. His igitur nos omnibus multisque praeterea carnalibus vitiis, ut citius ad destinata quisque perveniat, sanguis Domini liberavit, redemptos a servitute legis et libertate fidei emancipatos. Ideoque apostolus Paulus: *Vos autem*, inquit, *in libertatem vocati estis* (Gal. 5, 13). Haec illa libertas, quod non omnibus astringimur, quibus veteres tenebantur; sed donata (ut ita dixerim) silva delictorum, et remediorum indulgentia destinata, in pauca conclusi sumus et necessaria; quae et servare facillimum esset credentibus et cavere: ut meritissimo tartarum non recusaret qui tantae donationi ingratus, ne haec quidem pauca servasset. Quae sint autem ista videamus.

4. Post Domini passionem apostoli, tractatis omnibus atque discussis, epistolam tradiderunt, his qui ex gentibus crediderant, perferendam. Cujus epistolae sententia haec

fuit: *Apostoli et presbyteri fratres his, qui sunt Antiochiae et Syriae, et Ciliciae fratribus qui sunt ex gentibus, salutem. Quoniam audivimus quosdam ex nobis exisse, et conturbasse vos verbis* (Act. 15, 24. 25). Item infra: *Visum est enim sancto Spiritui et nobis, nullum amplius imponi vobis pondus praeter quam: Necesse est ut abstineatis vos ab idolothytis et sanguine, et fornicatione: a quibus observantes, bene agetis. Valete* (Ibid. 28, 29). Haec est novi Testamenti tota conclusio. Despectus in multis Spiritus sanctus haec nobis capitalis periculi conditione legavit. Reliqua peccata meliorum operum compensatione curantur: haec vero tria crimina, ut basilisci alicujus afflatus, ut veneni calix, ut lethalis arundo, metuenda sunt: non enim vitiare animam, sed intercipere noverunt. Quare tenacitas humanitate redimetur, convicium satisfactione pensabitur, tristitia jucunditate, asperitas lenitate, gravitate levitas, honestate perversitas, et quaecunque contrariis emendata proficiunt. Quid vero faciet contemptor Dei? Quid aget sanguinarius? Quod remedium capiet fornicator? Numquid aut placare Dominum desertor ipsius poterit, aut conservare sanguinem suum qui fudit alienum, aut red-

dintegrare Dei templum, qui illud fornicando violavit? Ista sunt capitalia, fratres; ista mortalia [1]. Nunc audite Joannem, et confidite, si potestis: *Si quis scit*, inquit, *fratrem suum peccare peccatum non usque ad mortem, petat pro eo, et dabit illi vitam Dominus, si quis deliquit peccatum non ad mortem. Est autem peccatum quod ad mortem ducit: non pro eo dico, ut depreceris* (1. Joan. 5, 16).

5. Sed si placet, etiam separatim audite de singulis. Mosen pro blasphematore populo deprecantem sic appellat Deus: *Si quis*, inquit, *deliquerit ante me, delebo illum de libro meo* (Exod. 32, 33). Et de homicida

---

[1] *Ista mortalia*, capitalia omniumque gravissima, propter quae non quaecunque, sed diuturna et publica erat agenda poenitentia. Proinde non vocat haec peccata *mortalia*, ac si propter ista tria tantum privaretur justus gratia et incurreret animae mortem mortemque aeternam, qui error esset nimis perniciosus et fidei catholicae contrarius. Quum autem disserens de remediis aliorum peccatorum docet, ea contrariis virtutibus emendari, non propterea excludit, si gravia sint, confessionis necessitatem, sicut neque necessitatem doloris et propositi; sed loquitur de remediis singulorum vitiorum *propriis*, quibus non solum remittuntur quoad culpam, sed quoad reliquias et sequelas pravas *omnino curantur* et *emendantur*.

Dominus hoc judicat: *Si quis*, inquit, *gladio occiderit, gladio morietur* (Exod. 21, 12). Et de fornicatore Apostolus dicit: *Ne violaveritis*, inquit, *templum Dei quod estis vos. Qui autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus* (1. Cor. 3, 17). Scripta sunt haec, dilecti fratres, et perpetuis caesa monumentis; scripta et incisa non dico ceris et charta et aere vel calamo, sed libro Dei vivi. *Coelum et terra transibunt, jota unum*, inquit, *aut apex non poterunt transire priusquam omnia compleantur* (Matth. 5, 18). Quid ergo? moriendum est? Multi etiam animo in haec peccata ceciderunt. Multi sanguinis rei, multi idolis mancipati, multi adulteri. Addo etiam non solas manus in homicidio plecti, sed et omne consilium, quod alterius animam impegit in mortem: nec eos tantum qui thura mensis adolevere profanis, sed omnem prorsus libidinem extra uxorium thorum et complexus licitos evagantem reatu mortis adstringi. Haec quicunque post fidem fecerit, Dei faciem non videbit. Desperavere tantorum criminum rei? Quid vobis ego feci [1])? Numquid non fuit in potestate ne fie-

[1]) *Quid vobis ego feci?* Non statim respondet ad quaestionem, utrum tam gravium criminum reis sit

ret? Nullusne admonuit? Nemo praedixit? Tacuit Ecclesia? Nihil evangelia dixerunt? Nihil apostoli comminati sunt? Nihil rogavit sacerdos? Quid quaeritis sera solatia? Tunc decuit, cum licebat. Dura ista vox est; sed qui vos felices dicunt, in errorem vos mittunt, et semitas pedum vestrorum conturbant. Facinoris viam monstrat innoxiis, qui nocentibus post scelera blanditur.

6. Ergo (inquit aliquis) perituri sumus? et ubi misericors Deus, qui mortem non invenit, nec laetatur in perditione vivorum? Moriemurne in peccatis nostris? Et quid facies tu sacerdos? Quibus emolumentis tot Ecclesiae detrimenta pensabis? Accipite remedium, si desperare coepistis; si miseros vos agnoscitis, si timetis. Qui nimium confidit, indignus est. *Super quem* (inquit Dominus) *respiciam, nisi supra humilem et quietum, et trementem verba mea* (Isa. 66, 2)? Vos ergo primum appello, fratres, qui criminibus admissis poenitentiam recusatis: vos, inquam, post impudentiam timidos, post peccata verecundos, qui peccare non erube-

---

desperandum, sed prius criminis gravitatem palam facit, ut eo acrius excitet ad poenitentiam.

scitis confiteri [1]); qui cum mala conscientia Dei sancta contingitis, et altare Domini non timetis; qui ad manus sacerdotis, qui in conspectu angelorum sub fiducia innocentiae acceditis, qui divinae patientiae insultatis; qui tacenti Deo, veluti nescienti, pollutam animam et profanum corpus ingeritis. Audite, quid fecerit Dominus, tum deinde, quid dixerit. Cum populus hebraeorum Hierosolymis arcam Domini reportaret et ex domo Aminadab israelitis, Ozas, qui non explorata conscientia latus arcae attigerat, occisus est; et tamen ille, non ut aliquid ex ea sumeret, sed ut declinantem ad lapsum vituli contineret, accesserat (2. Reg. 6). Tanta infuit cura divinae reverentiae, ut audaces manus nec ob auxilium sustineret. Clamat idem Dominus et dicit: *Omnis mundus manducabit carnem, et anima quaecunque contigerit de carne sacrificii salutaris, et immunditia super illa est; pereat anima illa de populo* (Lev. 7, 12). Antiquane ista sunt et modo

---

[1]) *Et erubescitis confiteri.* Haec de confessione ministris reconciliationis i. e. sacerdotibus facienda intelligi debent. Quis enim tantus rubor confessionis secretae Deo soli faciendae? Quod clarius patet ex n. 8. Sequitur pariter confessionis necessitas ante s. eucharistiae perceptionem. Sed cf. praesertim n. 7.

non fiunt? Quid ergo? desiit Deus nostra curare, an ultra conspectum mundi recessit, et neminem spectat e coelo? An patientia illius ignorantia est? Absit, inquies. Videt ergo quae facimus, sed utique exspectat et patitur, et poenitentiae tempus indulget, et Christo suo praestat ut differat, ne cito pereant quos redemit. Bene, tu peccator, intellige: spectaris a Domino, potes illum placare si velis.

7. Sed antiquum sit istud quod ad mensam Dei accedere non licuit immundis: evolvite apostolos, et novella cognoscite. In prima Corinthiorum Paulus haec intulit: *Quicunque*, inquit, *manducaverit, aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini* (1. Cor. 11, 27). Item infra: *Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non discernens corpus Domini: Propterea*, inquit, *inter vos multi infirmi et aegri, et dormiunt multi. Quod si nos ipsos judicaremus, non utique judicaremur; cum judicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur* (Ibid.. 29-32). Intremuistis, an non? *Reus erit*, inquit *corporis et sanguinis Domini.* Humanae animae reus non posset absolvi; dominici corporis

violator evadit? *Qui manducat*, inquit, *et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit.* Evigila peccator; time in visceribus tuis praesens judicium, si quid tale fecisti. *Propterea*, inquit, *inter vos multi infirmi et aegri*, *et dormiunt multi.* Jam si quis futura non metuit, vel praesentem aegritudinem praesentemque obitum reformidet. *Cum judicamur*, inquit, *a Domino corripimur*, *ut non cum hoc mundo damnemur.* Laetare, peccator, si in hoc seculo aut morte interciperis, aut languore consumeris, ne puniaris post seculum. Intellige quantum sceleris admittat qui ad altare venit indignus, cui pro remedio computatur, cum aut morbis laborat, aut morte dissolvitur.

8. Quod si vestra vobis vilis est anima, parcite populo, parcite sacerdotibus. Clamat Apostolus: *Exiguum fermentum totam massam fermentat* (1. Cor. 5, 6). Quid facies tu, propter quem omnis massa corrumpitur; propter quem laboratura est tota fraternitas? Vives tot animarum reus? Excusaberis cum tibi communionem suam [1]) imputaverint in-

---

[1]) *Communionem suam*, cum innocentes tibi imputaverint omnia damna, quae in ipsos redundant ex tuo peccato propter communionem, eo quod unum

nocentes, cum te Ecclesia dixerit suae cladis auctorem? Ecce iterum Apostolus ad sacerdotem: *Manus cito nulli imponas, nec communices peccatis alienis* (1. Tim. 5, 22). Quid facies, tu qui decipis sacerdotem? Qui aut ignorantem fallis, aut non ad plenum scientem probandi difficultate confundis? Rogo ergo vos, fratres, etiam pro periculo meo, per illum Dominum quem occulta non fallunt, desinite vulneratam tegere conscientiam. Prudentes aegri medicos non verentur, ne in occultis quidem corporum partibus etiam secaturos, etiam perusturos [1]. Meminimus quosdam, remota etiam et verecunda membrorum non erubescentes, in ferro et cauterio et gravissima illa pulveris mordacitate durasse. Et quantum est illud quod homines praestiterunt? Peccator timebit? Peccator erubescet perpetuam vitam praesenti pudore mercari? et offerenti manus Domino vulnera male tecta subducet? Et habet

---

tecum sint corpus, et malum unius membri derivetur in alia, nam *exiguum fermentum totam massam fermentat* i. e. corrumpit 1. Cor. 5, 6.

[1]) Quam manifesto hic necessitatem confessionis sacerdoti faciendae docet aptaque similitudine illustrat!

aliquid quod in illo erubescat, qui Dominum laesit? An sic illi melius et perire, ne tu pudore timidus sine pudore moriaris, non faciens pudori locum, plus de detrimento ejus acquiras cui pro te melius est perire[1])? Quod si fratrum oculos erubescitis, consortes casuum vestrorum timere nolite. Nullum corpus membrorum suorum vexatione laetatur, pariter dolet et ad remedium collaborat. In uno et altero Ecclesia est; in Ecclesia vero Christus. Atque ideo qui fratribus peccata sua non tacet, Ecclesiae lacrymis adjutus Christi precibus absolvitur.

9. Nunc ad eos sermo sit, qui bene ac sapienter vulnera sua poenitentiae nomine confitentes, nec quid sit poenitentia, nec quae vulnerum medicina, noverunt; similesque sunt illis, qui plagas quidem aperiunt ac tumores, medicisque etiam assidentibus confitentur, sed admoniti, quae imponenda sunt, negligunt, et quae bibenda, fastidiunt. Quod tale est ac si dicat aliquis: Ecce ego aeger, ecce ego vulneratus sum[2]), sed nolo curari

---

[1]) *Plus de detrimento ejus* de defectu pudoris *acquiras*, damnum patiaris, *cui* (pudori) *te melius est perire* i. e. melius est ut pereat, cesset pudor, quam ut tu pereas.

[2]) *Sed nolo curari stomachum. Hoc . . . quid*

stomachum. Hoc erat, sed videte qui stultius. Additur etiam morbus ad causam[1]), et vulnus adjungitur, et contraria quaeque imponuntur, perniciosa potantur. Quo maxime malo fraternitas haec laborat, delictis veteribus nova insuper adjungendo peccata. Ergo gravius erupit in vitium, perniciosissima jam tabe cruciatur. Quid ergo faciam nunc sacerdos qui curare compellor? Serum est in ejusmodi. Verumtamen si quis est vestrum qui secari et exuri sustineat, adhuc possum. Ecce scalpellum propheticum: *Convertimini*, inquit, *ad Dominum Deum vestrum, simulque jejunio, et fletu, et planctu, et scindite corda vestra* (Joel. 2, 12. 13). Nolite hanc secturam timere, dulcissimi. Sustinuit illam David, jacuit in cinere sordenti, sacco insuper horrente deformis. Ille quondam gemmis assuetus et purpuris, texit in jejunio animam suam: cui maria, cui silvae, cui flumina serviebant promissasque divitias terra parturiens; madidus lacrymis consumpsit

stultius. Legendum videtur cum Latinio: *Sed nolo curari. Stomachandum hoc erat: sed videte quod stultius.*

[1]) *Morbus ad causam* scil. malam, additur vulnus vulneri, si quis post peccatum detrectat poenitentiam agere.

oculos illos quibus gloriam Dei viderat, et infelicem se miserumque confessus est pater Mariae, judaei etiam dominator imperii. Rex ille babylonius exomologesim desertus operatur, et septennis qualore decoquitur (Dan. 4, 30). Leonum in illo jubas impexa caesaries et barbarus horror exsuperat, et longe incurvis unguibus manus horrentes aquilas mentiuntur, cum fenum in morem bovis ederet pallentium ruminator herbarum. Haec tamen illum Deo poena commendat, et in sua quondam regna restituit. Quem horrebant homines, Deus recipiebat, ipsa illa malae tractationis calamitate felicem. Ecce sectio, quam spopondi: qui potuerit tolerare, sanabitur.

10. Admovebo adhuc ignes de cauterio apostolico: videamus an ferre possitis. *Judicavi*, inquit, *congregatis vobis et spiritu meo, in virtute Domini Jesu Christi, tradere ejusmodi hominem satanae in interitum carnis*, *ut spiritus salvus sit in diem Domini* (1. Cor. 5, 3-5). Quid dicitis, poenitentes? Ubi est vestrae carnis interitus? An quod in ipsa poenitentia lautiores semper inceditis, convivio farti, balneis expoliti, veste compositi? Ecce aliquem video aliquando frugi, aliquando pauperculum, aliquando vili

tunica sordulentum: nunc bene cultus et locuples et decorus est, quasi imputet Deo, quod illi servire non potuit, et morientem animam recreet voluptate membrorum. Bene quod mediocres sumus: ceterum et illa faceremus quod quosdam et quasdam non pudet lautiores, marmoribus tegi, auro opprimi, serico fluere, cocco rubescere. Si quid ferruginei pulveris in supercilio fulgeret, aut ficti nitoris in genas rutilet, aut coacti ruboris in labia desudet: ista forsitan non habetis. Non desunt tamen vobis hortulani maritimive secessus, et exquisitius vinum, et lautiora convivia, et defaecatio senectutis. Sic agite, sic credite, quando vivetis? Non sustineo jam, fratres. Danielus cum sodalibus suis sacco tectus et cinere, jejunio etiam exsanguis, haec loquitur: *Peccavimus, facinus admisimus, impie gessimus, transgressi sumus praecepta et judicia tua* (Dan. 9, 5). De Azaria itidem scriptura divina: *Stans*, inquit, *Azarias precatus est, et aperiens os suum exomologesim faciebat Deo simul cum sodalibus suis* (Dan. 3, 25). David ipse: *Lavabo*, inquit, *per singulas noctes lectum meum, lacrymis stratum meum rigabo* (Psal. 6, 7). Nos vero, quid tale, quid simile? Non dico illa, quae congregamus ad cumulum, caupo-

nando, mercando, rapiendo; foris lucra, intus libidines aucupando; nihil agendo simpliciter, nihil pauperibus largiendo, nihil fratribus remittendo. Ne haec quidem, quae videri etiam a sacerdote possunt et episcopo teste laudari, ne haec quidem quotidiani servamus: flere in conspectu Ecclesiae, perditam vitam sordida veste lugere, jejunare, orare, provolvi; si quis ad balneum vocet, recusare delicias; si quis ad convivium roget, dicere: Ista felicibus, ego deliqui in Dominum, et periclitor in aeternum perire: quo mihi epulas, qui Dominum laesi? Tenere praeterea pauperum manus, viduas obsecrare, presbyteris advolvi, exoratricem Ecclesiam deprecari, omnia prius tentare quam pereas.

11. Scio quosdam ex fratribus et sororibus vestris cilicio pectus involvere, cineri incubare, jejunia sera meditari; et non talia fortasse peccarunt. Quid de fratribus loquar? Caprae ferae, ut dicunt, remedia sua noverunt: confixas quippe, audio, venenatis sagittis, saltus peragrare dictaeos [1]), quoad

---

[1]) *Dictaeos* cretenses a Dicte monte in insula Creta. Hujus montis herba, cui nomen dictamtus, virtutem habere ferebamur extrahendi e

dictami caule detonso, salutarium virulento latice succorum, pulsa decutiant tela corporibus. Nos ignita diaboli spicula nullo poenitentiae succo, nullo exomologesis gramine repellimus. Excoecatos hirundo pullos novit oculare de sua chelidonia: nos lumina mentis amissa nulla malae tractationis radice curabimus? Ecce nec capreis, nec hirundini homo similis, coecitati suae invidet et dolori. Considerate nunc, fratres, quid in fine promisimus: quis fructus haec opera, vel contra quis exitus consequatur. Peccatoribus delicatis et poenitentiam non agentibus spiritus Domini comminatur et dicit: *Dilectum veritatis non receperunt ut salvi fierent: ac propterea mittet illis Deus operationem erroris ut credant mendacio, ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed sibi placent in injustitiam* (2. Thess. 2, 10. 11). Item Apocalypsis de meretrice sic loquitur: *In quantum clarificavit se et delicias exercuit: tantum date ei tormentum et luctum* (Apoc. 18, 7). Et apostolus Paulus: *An ignoras, quoniam bonitas Dei in poenitentiam te perducit? Tu autem secundum du-*

---

vulneribus sagittas venenatas. Ad quam s. praesul respicit.

ritiam tuam thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis justi judicii Dei (Rom. 2, 4, 5). Timete igitur, dilectissimi, justa judicia; omittite errorem, damnate delicias; properat jam tempus extremum; tartarus et gehenna laxatos impiis sinus pandunt. Post animarum tempestiva supplicia redivivis quoque perpetua corporibus poena servatur. Nemo Tityi jecur credat et vulturem poetarum [1]). Ipse sibi materiam recrescentium corporum reparat ignis aeternus. Attendite, si non creditis: aquarum impetus, qui ignibus furit, supplicio nutriente reparabitur. Si de cruciatu exomologesis retracti gehennam recordemini, quam vobis exomologesis exstinguet. Vim ejus et de praesentibus aestimate, cujus fumariola quaedam maximos montes subterraneis ignibus decoquunt. Aestuant indefessis flammarum globis Aethna siculus et Vesuvius campanus: et quo nobis judicii perpetuitatem probent, dissiliunt, devorantur, nec ullis ta-

---

[1]) *Vulturem poetarum.* Respicit fabellas poetarum de inferni poenis v. gr. quae ferunt de Tityo Jovis filio, cui propter scelus commissum vultur jecur jugiter recrescens corrodere narratur. *Aquarum impetus, qui ignibus furit,* forte fluvius, torrens igneus; *retracti* i. e. retrahimini. Montes ignivomos exhibet, ut etiam Tertullianus *de poenit.* n. 12. et alii, qua inferni fumariola.

men seculis finiuntur. Attendite in Evangelio divitem solius adhuc animae suppliciis laborantem. Qualis tandem illa redituris poena corporibus? quis in illa stridor dentium? quis fletus oculorum?

12. Mementote, fratres, quia apud inferos exomologesis non est; nec poenitentia tunc tribui poterit, consumpto tempore poenitendi (Eccle. 9, 10; Eccli. 14, 17). Festinate, dum in vita estis, dum cum adversario iter facitis. Seculares ecce ignes timemus, et carnificum ungulas expavescimus: comparate cum his aeternas torquentium manus, apicesque flammarum nulla aetate morientium. Rogo vos per Ecclesiae fidem, fratres; per sollicitudinem meam, per communes omnium animas obtestor et deprecor: ne pudeat in hoc opere, ne pigeat opportuna quam primum remedia salutis invadere, dejicere moeroribus animum, sacco corpus involvere, cinere perfundere, macerari jejunio, moerore conficere, multorum precibus adjuvari. In quantum poenae vestrae non pepercistis, in tantum vóbis Deus parcet. *Est enim mitis et patiens, et multae miserationis, et qui sententiam flectat adversus malitias irrogatam* (Joel. 2, 13. sec. LXX). Ecce promitto, polliceor, si ad Patrem vestrum vera satisfactione redeatis, nihil ul-

terius errando, nihil pristinis adjiciendo peccatis, dicendo etiam humile aliquid et flebile: *Peccavimus in conspectu tuo Pater; jam non sumus digni nomine filiorum* (Luc. 15, 22); continuo de vobis et pecus illud recedet immundum et siliquarum esca deformis. Continuo revertentes et stola vestiti, et annulus honorabit, et paternus iterum complexus accipiet. Ecce ipse loquitur: *Nolo mortem peccatoris, quantum ut revertatur et vivat* (Ezech. 18, 23; 23, 11); et iterum: *Nonne*, ait, *qui ceciderit, resurget; et qui aversatus fuerit, convertetur* (Jerem. 8, 4)? Et Apostolus dicit: *Potens est Deus statuere illum* (Rom. 14, 4). Apocalypsis etiam septem Ecclesiis, nisi poenitentiam egerint, comminatur. Nec utique, non poenitentiam comminaretur, nisi ignosceret poenitentibus. Etiam ipse Deus dicit: *Memento ecce unde cecideris, et age poenitentiam* (Apoc. 2, 5); et iterum: *Cum conversus ingemueris, tunc salvaberis, et scies ubi fueris* (Isa. 30, 15. sec. LXX). Nec quisquam adeo peccatricis animae vilitate desperet, ut se jam non necessarium Deo credat. Neminem nostrum perire vult Dominus; etiam modici et minimi requiruntur. Si non creditis, intuemini: ecce in evangelio drachma requiritur, et vi-

cinis inventa monstratur. Ovicula, suppositis reportanda cervicibus, non est onerosa pastori. Super unum peccatorem poenitentiam agentem in coelis angeli gaudent et chorus coelestis exsultat. Heus tu peccator, rogare ne desinas; vides ubi de tuo reditu gaudeatur. Amen.

SANCTI PACIANI
SERMO DE BAPTISMO[1]).

1. Aperire desidero qualiter in baptismo nascamur, et qualiter innovemur. Verbis sane ipsius[2]) loquar, fratres, ne forte me ob nitorem sententiarum stilo exsultasse credatis, et ut rem mysticam intelligere possitis: atque utinam inculcare possim, gloriam non requiro; Dei enim solius gloria est. Vestri me tantum cura sollicitat, et horum maxime competentium[3]), si quo modo possim intelligere tantae felicitatis examen. Aperiam igitur, quid fuerit ante gentilitas, quid fides praestet, quid baptismus indulgeat. Quod si ita, ut

---

[1]) In hoc sermone accurate exponit s. praesul, qualis sit hominis conditio ante baptismum, quid porro fides ac baptismus eidem praestet; dehinc omnes enixe hortatur, ut gratiam et innocentiam baptismalem in finem usque vitae sollicite custodiant. Cf. Fessler, *instit. patrol.* t. 2. §. 254.

[2]) *Ipsius* forte Scripturae.

[3]) Competentium, eorum scil. catechumenorum,

ego sentio, vestra corda penetraverit, judicabitis, fratres, nullam nobis adhuc praedicationem amplius praestitisse. Accipite ergo, dulcissimi, homo ante baptismum in qua morte sit positus. Scitis certe illud antiquum, quod Adam terrenae origini [1]) praestitutus sit: quae utique damnatio legem illi arternae mortis imposuit; et omnibus ab eo posteris, quos lex una retinebat, haec mors in genus omne dominata est, *ab Adam usque ad Moysen* (Rom. 5, 14). Per Moysen vero unus tantum populus electus est, semen scilicet Abrahae, si mandata justitiae servare potuisset. Interea nos omnes sub peccato tenebamur, ut fructus essemus mortis: siliquarum escis et pecorum custodiae destinati, id est, operibus immundis per malos angelos; quibus dominantibus nec facere licuit nec scire justitiam: parere enim talibus dominis res ipsa cogebat. Ab his pote-

---

qui jam nomen dederant pro obtinendo baptismo, et quorum nomina examine instituto etiam recepta fuerant ab Ecclesiae praeposito, qui proinde mox erant baptizandi. *Possim* forte leg. *possint Felicitatis examen.* Ab hoc examine, quo probabantur catechumeni, utrum digni essent qui reciperent baptismum pendebat eorum felicitas, cujus causa esset ipse baptismus.

[1]) *Praestitutus. Restitutus* legit Latinius.

statibus et ab hac morte qualiter liberati simus, attendite.

2. Adam postquam peccavit, ut retuli, dicente tunc Domino: *Terra es, et in terram ibis* (Gen. 3, 19), addictus est morti. Haec addictio in genus omne defluxit. Omnes enim peccaverunt, ipsa jam urgente natura, sicut Apostolus dicit: *Quia per unum hominem peccatum introivit, et per delictum mors, et sic in omnes homines devenit, in quo omnes peccaverunt* (Rom. 5, 12). Dominatum est ergo peccatum, cujus vinculis quasi captivi trahebamur ad mortem, mortem scilicet sempiternam. Hoc vero peccatum ante legis tempora nec intelligebatur, sicut Apostolus dicit: donec enim lex poneretur, peccatum in mundo non habebatur, hoc est non videbatur; ad legis adventum revixit (Rom. 5, 13). Apertum est enim ut videretur: verum frustra, quia id prope nemo servabat. Dicebat enim lex: *Non moechaberis, non occides, non concupisces;* tamen concupiscentia cum vitiis omnibus permanebat: ita peccatum istud ante legem occulto gladio interfecit hominem, lege districto [1]). Quae igitur spes homini?,

[1]) *Districto* opponitur *occulto*, ac proinde aperto manifesto.

Sine lege ideo periit, quia peccatum videre non potuit; et in lege ideo, quia in id ipsum quod videbat, incurrit. Quis eum ab interitu potuit liberare? Audite Apostolum: *Miserrimus ergo homo! Quis me liberabit a corpore mortis hujus? Gratia,* inquit, *per Dominum nostrum Jesum Christum* (Rom. 7, 24, 25).

3. Quid est gratia? peccati remissio, id est, donum. Gratia enim donum est. Ergo Christus adveniens hominemque suscipiens, ipsum illum hominem [1]) de potestate peccati purum et innocentem Deo primus exhibuit. Dicit Esaias: *Ecce virgo,* inquit, *in utero accipiet, et pariet filium, et vocabitis nomen ejus Emmanuel. Butyrum et mel manducabit, prius quam sciat aut proferre malum, aut eligere bonum* (Isa. 14, 15). Et de ipso iterum: *Qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus* (Isa. 53, 9). Sub hoc innocentiae patrocinio, ut primum defensionem hominis aggressus est Christus in ipsa carne peccati, continuo ille peccati inobedientiae parens, qui primos homines aliquando deceperat, festinare incepit, aestuare,

---

[1]) *Ipsum illum hominem,* naturam humanam, quam assumpsit, exhibuit ab omni prorsus peccato puram et innocentem.

trepidare. Vincendus enim erat soluta lege peccati, qua sola hominem vel obtinuerat, vel poterat obtinere. Armatur ergo in aciem spiritualem adversus immaculatum; ac primum eo artificio, quo in paradiso Adam vicerat, specie dignitatis aggreditur, et velut sollicitus de potestate coelesti: *Si filius Dei es*, inquit, *dic ut lapides isti fiant panes* (Matth. 4, 3): ut dum erubescit, aut non vult dissimulare se Filium Dei, tentantis jussa compleret. Ecce adhuc non tacet, suggerens ut si se misisset ex alto, acciperetur manibus angelorum, quibus mandasset Pater, ut humeris eum ferrent, ne forte offenderet ad lapidem pedem suum, dum probare vult Dominus se esse, de quo Pater istud mandasset facere quod tentator urget. Elisus novissime coluber, quasi jam cederet, ipsa illa quae primo homini eripuerat, mundi regna promittit; ut dum vicisse se credit hominis Advocatum, recepto (quod defendebat) imperio, inclinaret ad dictam ab impio dignitatem, ac sic aliquando peccaret. Verum in his omnibus superatur inimicus, et coelesti virtute dissolvitur, sicut vates ad Dominum, *ut resolvas*, inquit, *inimicum et vindicatorem, quoniam videbo coelos opus digitorum tuorum* (Psal. 8, 3. 4).

4. Debuerat cedere diabolus; necdum tamen desinit. Scribas et pharisaeos et omnem illam impiorum catervam notis subornat insidiis, furoribus agitat. Igitur illi post varias artes et corda mendacia, quibus Dominum more serpentis obsequentia decipere cogitarunt; postquam nihil proficiebant, novissime eum aperto latrocinio et crudelissimo genere passionis agressi sunt: ut vel indignitate rerum, vel dolore poenarum aliquid injustum aut faceret aut diceret, atque ita perderet hominem, quem gerebat, et relinqueretur anima ejus apud inferos, quibus una lex fuit ut peccatorem tenerent: *Aculeus enim mortis, peccatum* (1. Cor. 15, 56). Perstitit ergo Christus, *et peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus* (1. Petr. 2, 22), ut diximus; nec tum quidem cum ad victimam duceretur. Hoc fuit vincere, sine peccato condemnari. Diabolus enim in peccatores acceperat potestatem, quam sibi ille super immaculatum vindicavit; ac sic ipse superatus est, id decernens super Justum, quod illi per legem quam acceperat non licebat [1]. Unde prophetes ad Dominum: *Ut*

---

[1]) Cf. de hoc divinae justitiae consilio in redimendis hominibus aliorum patrum effata *opusc.* XI, 209. ss.

justificeris, inquit, *in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris* (Psal. 50, 6). Atque ita, sicut Apostolus dicit, *transductis potestatibus Christus condemnavit peccatum in carne affigens illud cruci, et chirographum mortis absolvens* (Coloss. 2, 14. 15). Inde est quod non *dereliquit Deus animam ejus apud inferos, neque dedit Sanctum suum videre interitum* (Psal. 15, 10). Inde quod calcatis mortis aculeis, die tertia resultavit in carne, reconcilians illam Deo et restituens aeternitati, victo erasoque peccato.

5. Sed si solus ille vicit, quid ceteris contulit? Breviter audite. Peccatum Adae in genus omne transierat: *Per unum enim hominem*, sicut Apostolus dicit, *delictum introivit, et per delictum mors: sic et in omnes homines devenit* (Rom. 5, 12). Ergo et justitia Christi necesse est ut in genus transeat: ac sicut ille per peccatum stirpem suam perdidit, ita Christus per justitiam genus suum omne vivificet. Hoc urget Apostolus dicens: *Ut sicut per inobaudientiam unius peccatores constituti sunt multi; sic per dicto audientiam unius, justi constituantur multi: ac sicut regnavit delictum in mortem, similiter et gratia regnet per justitiam in vitam aeternam* (Ibid. 19, 21).

6. Dicet mihi aliquis: Sed peccatum Adae merito transivit in posteros, quia ex ipso geniti erant: et numquid nos a Christo geniti sumus, ut propter ipsum salvi esse possimus? Carnalia cogitare nolite: jam videbitis qualiter Christo parente generemur. Novissimis temporibus animam utique cum carne accepit Christus ex Maria: hanc venit salvam facere, hanc apud inferos non reliquit, hanc spiritui suo [1]) conjunxit et suam fecit. Et hae sunt nuptiae Domini uni carni conjunctae, ut secundum illud magnum sacramentum fierent duo in carne una, Christus et Ecclesia (Ephes. 5, 32). Ex his nuptiis christiana plebs nascitur, veniente desuper Spiritu Domini; nostrarumque animarum substantiae, superfuso et admixto protinus semente coelesti, visceribus matris inolescimus [2]) alvoque ejus effusi vivificamur in Christo. Unde Apostolus: *Primus Adam in animam viventem: novissimus Adam in spiritum vivificantem* (1. Cor. 15, 47). Sic generat Christus in Ecclesia per suos sacerdotes, ut idem

---

[1]) *Spiritui suo* i. e. divinitati suae.

[2]) *Nostrarumque animarum substantiae* i. e. nos ... *visceribus matris inolescimus*, surculorum instar inserimur Ecclesiae, quae est corpus Christi. Cf. aliorum patrum testimonia similia *opusc.* X, 92. annot.

Apostolus: *Christo autem ego vos genui* (1. Cor. 4, 25). Atque ita Christi semen, id est Dei spiritus novum hominem alvo matris agitatum et partu fontis exceptum, manibus sacerdotis effundit, fide tamen pronuba. Neque enim aut insertus in Ecclesiam videbitur qui non credidit; aut genitus a Christo, qui spiritum ipse non recepit. Credendum est igitur posse nos nasci. Sic enim ait Philippus: *Si credis, potes* (Act. 8, 37). Recipiendus est Christus ut generet, quia sic Joannes apostolus dicit: *Quotquot eum receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri* (Joan. 1, 12). Haec autem compleri alias nequeunt, nisi lavacri et chrismatis et antistitis sacramento [1]). Lavacro enim peccata purgantur; chrismate sanctus Spiritus superfunditur; utraque vero ista, manu et ore antistitis impetramus: atque ita totus homo renascitur et innovatur in Christo, *ut, sicut resurrexit Christus a mortuis, sic et nos in novitate vitae ambulemus* (Rom. 6 4); id est, ut depositis vitae veteris erroribus, idolorum servitute, crudelitate, fornicatione, luxuria ceterisque vitiis carnis et san-

---

[2]) Quibus verbis satis clare designatur *confirmationis* sacramentum.

guinis, novos per Spiritum mores sequamur in Christo, fidem, pudicitiam, innocentiam, castitatem; ac *sicut portavimus imaginem terreni hominis, portemus et ejus qui de coelo est; quia primus homo de terra terrenus; secundus a coelo coelestis* (1. Cor. 15, 49. 47). Quod agentes, dilectissimi, jam non moriemur amplius. Etiam si in hoc corpore resolvamur, vivemus in Christo, sicut ait ipse: *Qui in me crediderit, licet moriatur, vivet* (Joan. 11, 25). Certi denique sumus, ipso teste Domino, et Abraham et Isaac et Jacob et omnes sanctos Dei vivere. Denique de his ipsis ait Dominus: *Omnes autem illi vivunt; Deus enim vivorum est, non mortuorum* (Luc. 20, 38). Et Apostolus de se dicit: *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum: optarem dissolvi et cum Christo esse* (Philipp. 1, 21); adhuc: *Nos autem dum in corpore hoc sumus, peregrinamur a Domino. Per fidem enim ambulamus, non per speciem* (2. Cor. 5, 6, 7).

7. Hoc est quod credimus, dilectissimi fratres. Ceterum *si in hoc seculo sperantes sumus, miserabiliores omnibus hominibus sumus* (1. Cor. 15, 19). Vita mundi et pecudibus, et feris, et alitibus, ut videtis ipsi, aut nobiscum est communis, aut longior. Et

illud homini proprium, quod per Spiritum suum dedit Christus, id est vita perpetua; sed si jam non peccamus amplius. Quia sicut mors scelere acquiritur, virtute vitatur; ita vita sceleribus amittitur, virtute retinetur. *Stipendia ergo peccati mors; donum Dei, vita aeterna per Jesum Christum Dominum nostrum* (Rom. 6, 23). Ante omnia vos retinete, parvuli: omnes aliquando gentes (sicut supra diximus) principibus tenebrarum et potestatibus traditas, nunc per Jesu Christi Domini nostri victoriam liberatas. Ille est, ille qui redimit, *donans nobis omnia peccata*, sicut Apostolus dicit, *et delens quod adversus nos erat chirographum inobauditionis; quia et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci; exuens se carnem, traduxit potestates libere triumphans eas in semetipso* (Coloss. 2, 13-15). Solvit compeditos et vincula nostra disrupit, sicut David dixerat: *Dominus erigit elisos, Dominus solvit compeditos, Dominus illuminat coecos* (Psal. 145, 7. 8); et iterum: *Dirupisti vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis* (Psal. 115, 16. 17). Soluti itaque de vinculis, ubi per baptismi sacramentum ad signum Domini convenimus, diabolo et omnibus angelis ejus renunciamus, quibus ante servivi-

mus: ne jam illis ulterius serviamus, sanguine Christi et nomine liberati. Quod si quis posthac oblitus sui et redemptionis ignarus, rursus (Coloss. 2, 18) ad angelorum servitutes et (Gal. 4, 9) infirma illa et egena mundi elementa transierit, antiquis illis compedibus et catenis, id est peccati vinculis alligabitur, *et fient novissima ejus deteriora prioribus* (Luc. 11, 26): quia et diabolus eum quasi per fugam victum vehementius inligabit; et Christus pro eo jam pati non poterit, quia *qui resurrexit a mortuis, jam non morietur amplius* (Rom. 6, 9). Igitur, dilectissimi, semel abluimur, semel liberamur, semel in regnum immortale suscipimur: semel *felices sunt, quorum remissa sunt facinora, et quorum tecta sunt peccata* (Psal. 31, 1). Tenete fortiter quod accepistis, servate feliciter, amplius peccare nolite. Puros vos ex eo et immaculatos in diem Domini reservate. Grandia et infinita sunt praemia fidelibus praestituta; *quae nec oculus vidit,* inquit, *nec auris audivit, nec super cor hominis ingressa sunt* (1. Cor. 2, 9). Haec uti accipere possitis, justitiae laboribus et votis spiritalibus obtinete. Amen.
